# DISQUISITIO HISTORICO-JURIDICA DE LEGE POETELIA PAPIRIA...

Andreas Cornelius : van Heusde

A
I

31
12

DISQUISITIO HISTORICO-JURIDICA

DE

# LEGE POETELIA PAPIRIA.

gebew
67924

DISQUISITIO HISTORICO - JURIDICA

31
12

DE

# LEGE POETELIA PAPIRIA.

SCRIPSIT

ANDR. CORN. VAN HEUSDE,

LITT. HUM. ET J. U. D.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

TRAJECTI AD RHENUM,

apud ROB. NATAN

1842

# *Praefatio.*

*Solent alii, Academiae valedicentes, recordari bona, quibus per dulcissimum illud vitae spatium gavisi sunt, et enumerare jucunda laetaque, quae ipsis contigerunt. At mihi hoc denegavit fortuna. Nam quoties animo tempus illud recolo, per quod Academica institutione mihi frui licuit, desiderium optimi Patris, ante hoc biennium acerbissima morte mihi erepti, ita me tenet, ut tristior mihi sit quam jucundior praeterlapsi temporis recordatio. Ea enim erga me per totam vitam fuit benevolentia, ea me semper prosecutus est caritate, ea ipsius in excolendo meo ingenio et emendandis moribus cura et studia semper fuerunt, ut plane ferreus essem, si optimum illum vitae ducem a me discessisse, aequo animo tulissem. Haec autem beneficiorum, quae in me contulit, memoria, etiamsi mihi perpetua et quotidiana sit, tamen nunc in primis me tenet, quum Academiam sim relicturus, Academiam dico, cuius aliquando ille studiosissimus fuit, in qua illum docen-*

*tem audivi, et qualis erga discipulos, qualis erga me fuerit, plenius percipere coepi. Perpetuo igitur, hisce praesertim diebus, ob oculos versatur amantissimi viri imago, docentis, monentis, dulcissimisque sermonibus me ad studia rite peragenda et ad virtutem amicissime adhortantis. Non igitur festus hic mihi dies est, Academiae valedicenti, quum illum alloqui, illi quid quantumque debeam profiteri, gratumque animum pro tot in me collatis beneficiis testificare mihi non liceat!*

*At vero ingrati animi jure accusarer, si desiderio optimi viri, quid vobis,* Viri Clarissimi, *Praeceptores aestumatissimi, acceptum referam, oblivíscerer. A quo inde jurisprudentiae operam navare coepi, in vestram delatum disciplinam, tanta me excepistis benevolentia, ut vobis me toto animo devinctum esse sentiam. Non tantum enim egregia vestra institutione, sed et monitis vestris et praeceptis opitulari tironi, et monstrare viam, quam in studiis sequerer, benigne voluistis. Quod tibi in primis dictum esse volo,* Clar. de Brueye, *qui auxilium invocanti nunquam defuisti, sed consiliis tuis saepius me adjuvisti. Accipiatis igitur pro hisce beneficiis gratissimi pectoris significationem, illudque vobis persuasum sit, quaecumque me postea vita maneat, dulcissimam mihi semper fore vestrae humanitatis recordationem.*

*Te vero,* Clarissime Holtius, *Promotor dilectissime, nominatim appellare mihi liceat, cui quid quantumque debeam, sentire magis, quam pronunciare pos-*

*sum. Eximia enim tua jus Romanum eiusque historiam interpretandi methodus eum mihi huius doctrinae conciliavit amorem, ut nihil suavius mihi esset, quam si ex hac potissimum jurisprudentiae parte argumentum quaererem, quod te duce scriberem tuisque auspiciis defenderem. Te igitur adii deque conscribenda dissertatione consului: tantumque aberat, ut auxilium mihi denegares, ut ultro mihi argumenta quaedam traderes, in quibus vires meas qualescunque periclitarer. Amicitius enim, quae te inter et dilectissimum meum Patrem quondam intercessit, memor, illiusque nunc desiderio ductus, nihil antiquius, nihil sanctius habuisti, quam ut, adjuvando tua doctrina filium, illius coleres memoriam. Cuius quidem haud exigua mihi dedisti documenta. Etenim quum difficilius argumentum mihi tractandum elegissem tuumque saepius auxilium esset invocandum, summa semper benevolentia et humanitate imbecillitati meae succurristi, et quemvis variis occupatus esses studiis, quae nocis scholis etiamnunc augebantur, tua semper mihi patebat domus, nec unquam tua monita tuamque eruditionem frustra imploravi. In hac igitur scriptione — quae utinam tua institutione tuisque erga me meritis dignior esset! — si quid boni inveniatur, id tibi in primis me debere gratus profiteor, illudque mihi per totam vitam curae cordique erit, ut tua disciplina me aliquando digniorem reddam.*

*Vobis tandem, commilitones amicissimi, quorum intima familiaritate frui, quorumque studiis in socie-*

*tatibus, tam literaria, quam juridica, uti mihi licuit, valedicendi triste incumbit officium. Plerique vestrum Academiam jam reliquistis, sed tamen amici oblitos non fuisse, admodum laetor. Demonstrastis igitur, amicitiae non vanum nomen esse, sed esse conjunctionem animorum, quae nulla vitae conditione, nullis mutationibus disjungi queat. Hoc igitur vinculum et postea intactum maneat, ut quocunque postea nos disjiciant fata, animis tamen conjuncti esse pergamus.*

## CONSPECTUS.

Prooemium . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 1.

SECTIO PRIOR.

LEGIS POETELIAE PAPIRIAE AETAS, OPPORTUNITAS, CONSILIUM.

Caput I. *Aetas et opportunitas, quibus lata est lex Poetelia Papiria* . . . . . . . . . . . . . p. 13.
Caput II. *Legis Poeteliae consilium* . . . . . . . . . p. 21.
§ 1. Sententia Niebuhrii et Zimmernii . . . p. 22.
§ 2. Sententia Savinii . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 30.
§ 3. Sententia Walteri et Scheurlii . . . . . . p. 53.
§ 4. Lege Poetelia addictio debitoris sublata est . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 61.
§ 5. Loco addictionis successit proscriptio bonorum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 88.

SECTIO POSTERIOR.

LEGIS POETELIAE PAPIRIAE FATA.

Caput I. *Lex Poetelia Papiria in desuetudinem abiit* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 97.
Caput II. *Lex Poetelia a Sulla pro parte revocatur* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 113.
Caput III. *Legis Poeteliae beneficium restituitur lege Julia de bonis cedendis* . . p. 124.
Conclusio . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 129.

# PROOEMIUM.

Neminem sane, nisi in historia gentium plane hospitem, innumerae fere latent, quibus antiquae civitates laborarunt, ob aes alienum contentiones. Quae licet ubivis graves, nusquam tamen graviores quam Romae fuerunt. Permultis enim seditionibus ansam praebuerunt, quibus plebejorum animi a patriciis alienabantur et dilacerabatur respublica, imo vero eo processit eorum audacia, ut, Consulibus delectum instituentibus, juniores non modo nomen dare militiae saepius recusarent, sed etiam haud semel, urbe relicta, in montes secederent, indeque deduci non ante possent, quam tribunos sibi creandi potestatem, vel alia jura, a patribus impetrassent.

Caussam autem inquirentibus, qui factum sit, ut unus ille contractus mutuidationis tantam tamque fu-

nestam in republica Romana habuerit vim, peculiaris primum populi Romani et indoles et conditio spectanda venit. Quamquam enim Romani multis virtutibus erant conspicui, summa tamen laborabant avaritia, unde apud eos in proverbii consuetudinem venit, *largitionem fundum non habere*, 1) et, teste Polybio, nemo Romae ante praestitutum diem solvebat, sed tempore ad lucrum faciendum et usuras recipiendas sedulo utebantur. 2) Hinc foenus non, ut hodie, ad parvum modum et quotannis, sed immensum fere et quoque mense exigebant, ut usurae saepe ipsam sortem superarent, et quererentur debitores, se multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutos foenore esse. 3) Stipulabantur etiam haud raro anatocismum, id est, ut usurae non solutae in sortem redigerentur, ipsaeque iterum usuras procrearent. Cuius rei luculentissimum documentum nobis reliquit

1) Cic. *de Off.* II. 15.

2) Polyb. XXXII. 13.

3) Liv. VI. 14. Hinc temporis computandi rationem, Romanis usitatam, invaluisse ingeniose conjicit Cl. Hugo: ut post Idus cujusque mensis, quam pauci nunc dies a Kalendis, dieque solutionis, superessent, continuo dinumerarent. *Lehrb. d. Gesch. des Röm. Rechts.* Ed. XI. p. 294. Gaudebant quotidiano decremento creditores, metuebant vero in dies magis imminentes illas » tristes Kalendae'' debitores. Ceterum temporis descriptio in quaque gente antiquior esse solet foeneratione.

Cicero, Scaptii et Matinii cum Salominiis contractum memorans, a quibus quaternas centesimas cum anatocismo anniversario stipulati erant, sive quod eodem redit, ut mille mutuo dantes, post sex annos plus quam decem millia acciperent. 1) Similiter Plutarchus, quanta antiquitus foeneratorum fuerit avaritia, describit, ubi dicit: *ἦν δὲ τοῦτο κοινὸν δάνειον, ἐκ τῶν δισμυρίων ταλάντων, οἷς τὴν Ἀσίαν ἐζημίωσεν ὁ Σύλλας, καὶ διπλοῦν ἀπεδόθη τοῖς δανείσασιν, ὑπ' ἐκείνων ἀνηγμένον ἤδη τοῖς τόκοις εἰς δώδεκα μυριάδας ταλάντων.* 2)

Immoderatam igitur hanc foenerandi libidinem si reputas, mirum esse nequit, plebejos tantis usuris solvendis impares fuisse, ideoque saepe novas tabulas flagitasse, et, si precibus illae non concederentur, seditionibus et armis easdem a patribus evincere studuisse. Ut autem mutuam contraherent pecuniam, continuis bel-

1) Cic. ad *Att.* V. 21, VI. 1, 2, 3 Cf. v. Savigny, *ub. den Zinswucher des M. Brutus.* p. 180. (*Abhandl. d. Königl. Akad. zu Berlin.* 1818 - 1819). — Ab anatocismo non alienos fuisse Romanos, inde patet, quod saepius legibus prohibitus esse dicitur. Vid. L. 28. C. de Usuris: *ut nullo modo usurae usurarum a debitoribus exigantur, et veteribus legibus constitutum fuerat.* Cff. L. 29. D. Eod. L. 26. § 1. D. de Condict. indeb.

2) Plut. *vit. Luculli.* c. 20. — Hinc Tacitus *Ann.* VI. 16. *vetus urbi foenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa.*

bus, quae suscipiebat respublica Romana, sponte cogebantur. Quum enim quisque civis, delectum instituentibus Consulibus, respondere eosque in bellum sequi deberet, vacare agriculturae non poterant, inque patriam reversi, necessariis plerumque destituti, vel avitum patrimonium vendere necesse erat, vel mutuam sumere pecuniam foenore. 1) In primis antem ut pauperiores fierent plebeji, neque haberent, unde afflictam rem familiarem repararent, fecit, quod divites agros suos colendos aliaque peragenda, non civibus suis, sed servis committerent, quo factum est, ut inopes fere labore indigerent, et hoc etiam, quod supremo esse solet auxilio pauperibus, destituerentur. 2)

Quodsi ex hisce jam quodammodo patet, caussam non defuisse et materiem contentionibus ob aes alienum apud Romanos, eo magis id conspicuum fiet, ubi antiqui in debitores juris attenderis severitatem. Nam etiamsi confesso et judicato triginta insuper dies, quibus pecuniam expediret, concederentur, elapsis tamen iisdem, a Praetore creditori addicebatur, et nisi vindi-

1) Cuius rei exempla vide apud Liv. II. 23, VI. 14. Dion. Hal. VI. 22, 26.

2) Appianus *de bello civili.* I. 7. fin. Cff. Mitfard, *Hist. of Greece.* Vol. I. p. 406. (Ed. Lond. 1818) Schulze, *Gesch. d. Röm. von der Vertr. des Tarq. bis zur Erwähl. des ersten pleb. Consuls.* Leipz. 1809. p. 20.

eem dabat, qui pro ipso causam ageret, domum ab actore ducebatur et nervo compedibusque vinciebatur. Erat autem jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad Praetorem in comitium producebantur, quantaeque pecuniae judicati essent, praedicabatur. Tertiis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. 1) Si vero plures forent creditores, haec praescripserunt XII tabulae: TERTIIS NUNDINIS PARTIS SECANTO, SI PLUS MINUSVE SECUERUNT, SE FRAUDE ESTO; quae verba utrum de ipso debitoris corpore secando, an de corporis venditi pretio inter creditores dividendo, an denique de distribuendis ipsius vel bonis vel operis intelligenda sint, obsoleta est inter viros doctos disceptatio: 2) de qua hoc loco agere nihil refert, quum legem ipsam ad exsecutionem nunquam perductam esse, antiqui scriptores doceant. 3) Id tamen hic animadvertamus, non suo

---

1) Gell. *Noct. Att.* XX. 1. Gajus. IV. 21.

2) Vidd. hac de re, quos laudant Zimmern, *Gesch. des Röm. Privatr.* Vol. III. p. 134. not. 17. Debzlow, *Ausf. Entwick. der Lehre vom Concurse der Gläubiger.* 1801. p. 46 sqq. Vinscher, *de jure credit. in bonis et pers. debit. ex legg. Rom. et patriis.* Traj. 1824. p. 27 sqq.

3) Gell. l. l. Dio Cass. in *Nova script. coll.* ed. *Majo* Vol. II. p. 144. — Quum vero quatuor scriptores antiqui de sectione ipsius corporis debitoris loquantur, naturali sensu verba XII. tab. accipienda esse putant Hugo, *Rechtsgesch.* p. 353.

novo jure istud induxisse leges XII tabularum, sed confirmasse ea, quae antea jam sub regibus invaluerant, ut complura Livii et Dionysii loca demonstrant. 1)

Miserrimam igitur plebejorum conditionem fuisse, qui creditoribus suis satisfacere non possent, sponte jam intelligitur. Nam etiamsi summo Niebuhrio non adsentiamur, addictionem sive personalem executionem, ut ajunt, unice in gratiam patriciorum contra plebejos fuisse datam contendenti, 2) in plebejos ta-

---

v. Savigny, *über das altröm. Schuldr.* p. 14. (*Abh. der Kön. Akad. zu Berlin.* 1833–1834.). Bethmann Hollweg, *Gerichtsverf. und Prozesz des sinkenden Röm. Reichs.* Bonn. 1834. § 28. p. 300.

1) Cff. Liv. II. 23, 24, 27, 28, 31. Dion. Hal. IV. 9, 43. V. 2, 53, 63, 69. VI. 22–26, 29, 37, 42, 58, 59, 75, 79, 81–84.

2) Niebuhr, *Röm. Gesch.* Vol. I. p. 635–637. (Ed. 3.) Vol. II. p. 3;8, 374, 669 (Ed. 2.). Vol. III. p. 178. Niebuhrius id propterea maxime statuit, quod Livius et Dionysius semper de patriciorum in plebejos saevitia loquantur, nullum vero exemplum afferant patricii plebejo homini addicti. Cujus rei causa potius haec esse videtur, quod patricii fere ditiores essent, pauperiores vero plebeji, quocirca hi pecuniam mutuo petere ab illis debebant, quae si statuto tempore non solveretur, iisdem addicebantur. Hinc et rogationem de unciario foenore plebi admodum placuisse, displicuisse vero patriciis, dicit Livius VII. 16. Praeterea animadvertendum, Livio et Dionysio unice id propositum fuisse, ut historiam populi Romani enarrarent, eosque idcirco ea tantum retulisse, quae in republica Romana vim habuerant, in quibus sane primarium locum obtinebant seditiones plebis ob aes alienum factae. Fieri igitur potuit, ut antiquitus et patricii debitores a plebejis creditoribus male haberentur, neque ea commemorandi causa esset historicis, quum seditionibus ansam non dedissent. Denique parum

men, quippe pauperiores tantisque usuris eum sorte solvendis plerumque impares, legis asperitas maxime vertere debuit. Addictorum autem conditio qualis fuerit, si quaeris, servorum instar habebantur, licet jure liberi et cives Romani imo sui juris manerent. Qua de re audiamus Quinctilianum, ubi addictum cum servo comparat: „Servus, ait, cum manumittitur, fit libertinus: addictus, recepta libertate, est ingenuus. Servus invito domino libertatem non consequetur, addictus solvendo citra voluntatem consequetur. Ad servum nulla lex pertinet: addictus legem habet. Propria liberi, quae nemo habet nisi liber, praenomen, nomen, cognomen, tribum: habet haec addictus." 1)

---

probabile est, legem XII tab., quibus aequum utrique ordini jus introductum est, (Cf. Tac. *Ann.* III. 27. Liv. III. 34. Dion. Hal. X. 57.) addictionem tantum in gratiam patriciorum et in plebejorum detrimentum sanxisse. Quod autem addit Niebuhrius, extremis reip. temporibus foenerandi licentiam in primis penes plebejos fuisse, ratio in promptu est, quia tum, exstinctis plerisque patriciorum familiis, plebeji lautiore gaudebant fortuna, unde et nobilium nomen acceperunt. Cf. Liv. XXII. 34. — Caterum Niebuhrii sententiam cum alii multi secuti sunt, tum novissime Puchte, *Cursus der Instit.* Leipz. 1841. Vol. I. p. 152.

1) Quinctil. *Inst. Orat.* VII. 3. p. 620 Ed. Burm. Cf. III. 6. V. 10. p. 244, 414. Sui juris manere addictum, docet Ulpianus, L. 23 pr. ex Quibus caus. maj.: *nam et eum, qui in vinculis est, si modo non sit in servitute, posse usu acquirere, constat.* Cf. Gaj. III. 189. *utrum autem (fur manifestus) servus efficeratur ex addictione, an adjudicati loco constitueretur, veteres quaerebant.*

Fuerunt quidem, qui addictos in eadem versari conditione statuerent, atque eos, qui in caussa mancipii essent; eorum tamen sententia hodie post doctas Zimmerni et Savinii disquisitiones prorsus explosa est. 1) Neque etiam comparari addictio potest cum potestate, manu vel mancipio; haec enim peculiaria erant juris Romani instituta et juris conditionem statumve significabant, addictio vero natura sua tantum detentio erat debitoris per sexaginta dies, quibus elapsis vel capite plectebatur vel trans Tiberim vendebatur. Unde intelligitur, quare nunquam Jureconsulti Romani peculiariter de addictis in juris libris egerint. Quum vero paciscendi potestatem concederent XII tabulae, idque utrique et creditori et debitori conduceret, obaeratus omni modo sive liberis mancipandis, sive operis suis praestandis satisfacere creditori solebat, ut graviores illos addictionis effectus effugeret. Qua de re tamen infra uberior erit disquirendi locus.

Haec igitur reputantes, mirari desinamus, tot in republica Romana ob aes alienum exstitisse seditiones. Quominus enim rei familiari consulerent, continuis bellis impediebantur et mutuam sumere pecuniam co-

---

1) Illud statuerunt Böcking, *de mancipii caussis*. Berol. 1826. p. 82 sqq. et Rudorff in *Rhein. Mus. f. Phil.* II. 2. p. 162. Refutarunt vero hanc opinionem Zimmern op. l. Vol. III. p. 127. et v. Savigny, *öltrom. Schuldr.* p. 27.

gebantur: hanc tamen accipere non poterant, nisi immensas promittendo usuras, quas si cum sorta statuto die non solverent, in miserrimam et fere servilem detrudebantur conditionem. Neque moderate et juste suo jure usos fuisse creditores, ex quaque fere Livii et Dionysii pagina cognosci potest, apud quos obaerati so non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam ductos queruntur, ubi nervo et compedibus vincti innumeros exantlare labores deberent. 1)

Quibus miseriis succurrere easque, quoad eius fieri posset, sublevare, studio semper fuit tribunis plebis, quocirca plures leges rogarunt, quibus restringeretur foeneratorum licentia. Hae tamen nonnisi pro parte obaeratis succurrebant, quum inopes etiam modicas solvere usuras nequirent, et foeneratorum avaritia variis modis eluderet leges. Quod autem illi studuerant, efficere tamen non potuerant, id perfecerunt Consules Poetelius et Papirius, lege ferenda, qua miserae subvenerunt debitorum conditioni, quaque ita consuluerunt plebi, ut eo anno velut aliud libertatis initium factum esse, testatur Livius. 2)

Celeberrimae igitur huius legis quum propositum et fata ex viribus adumbrare mihi proposuerim, temeri-

1) Liv. II. 23. VI. 36. Dion. Hal. VI. 79.
2) Liv. VIII. 28.

tatis fortasse et arrogantiae a multis accusabor, eum quippe disquirendi locum eligens, in quo elaborando summi quique nostrae aetatis viri, Schraderus, Niebuhrius, Zimmerenus, Savinius, alii operam suam posuerunt, et de quo singuli diversam amplexi sunt sententiam. Sed reputent illi, quaeso, non hoc mihi consilium esse, ut nova quaedam proponam, verum ut ea, quae alii de illa lege breviter monuerint, explicem latiusque exponam, et si a celeberrimorum virorum sententiis interdum discedam, id me non facere, meis viribus fretum, sed aliorum monitis utentem. Quocirca scriptores, quorum operibus, ut melius de hoc argumento judicarem, usus sum, paucis commemorabo.

Ex antiquioribus igitur, ut omittam Sigonium (*de ant. jure pop. Rom.* lib. I. c. 6. p. 95), Spanhemium (*Orbis Romanus*, p. 560), et Heineccium (*Antiquit. Rom. Synt.* lib. III. tit. 30. § 5. p. 610. Ed. Haubold), qui leviter argumentum nostrum attigerunt, memorandus est Salmasius, qui in opere *de modo usurarum*, cap. 18, antiquum creditorum in debitoribus jus investigavit, legisque nostrae propositum explicare studuit. De industria vero de ea lege disseruit Neuhaus, *Diss. jurid. ad legem Petillam de obaeratis debitoribus*, Lips. 1739, qui tamen in jure XII

tabularum et universe in obaeratorum variis temporibus conditione explicanda longus est, brevissime vero ipsum, de quo agere instituit, argumentum tractavit. Recentiori aetate de eodem argumento nonnulla monuerunt **Schrader**, *Vermuthung über den wahren Sinn der lex Petillia Papiria*, in *Civilist. Magazin von Hugo*, V. 2. p. 164 - 167, et **Dabelow** in opere *Ausführliche Entwick. der Lehre vom Concurse der Gläubiger*. Halle 1801. p. 63 sqq. Salmasii autem sententiam magnam partem secutus est **Niebuhr**, *Röm. Gesch.* Vol. I. p. 637 - 645, (Ed. 3); Vol. II. p. 667-673 (Ed. 2); Vol. III. 176 - 181, cui universe assentitur **Zimmern**, *Gesch. des Röm. Privatr.* Vol. III. § 44 - 47, in nonnullis tamen ab eodem recedens. Tum vero memoranda venit **Savinii** commentatio: *über das altröm. Schuldrecht* in *Abhandl. d. Königl. Akad. zu Berlin*, ab a°. 1833 - 1834, in qua sagacissime, ut solet, antiquum debitorum jus einsque per legem Poeteliam commutationem exquisivit. Diversam vero ab his omnibus sententiam amplexi sunt **Walter**, *Gesch. des Röm. Rechts bis auf Iust.* Bonn. 1840. p. 641 sqq. et v. **Scheurl**, *vom Nexum*. Erl. 1839. p. 49 sqq., et qui huius libelli censuram dedit, **Schilling** in *Krit. Jahrb. für deutsche Rechtswissenschaft*. 1839. III. p. 200 sqq. Quibus addi potest Sell, *de*

*juris Romani nexo et mancipio.* Brunsv. 1840; quamquam ille, quoad nostrum argumentum, eandem fere, atque Scheurlius, sententiam probat.

De ratione, quam in hac disputatione secuti sumus, praedicere non attinet, quum ipsum argumentum commodum disputandi ordinem afferat. Primum igitur de aetate et opportunitate, quibus lata est lex, egemus, deinde legislatorum propositum, traditis virorum doctorum de eo sententiis, investigabimus, et tandem, quae legis fuerint fata, explicare conabimur.

## SECTIO PRIOR.

### LEGIS POETELIAE PAPIRIAE AETAS, OPPORTUNITAS, CONSILIUM.

### CAPUT I.

AETAS ET OPPORTUNITAS, QUIBUS LATA EST LEX POETELIA PAPIRIA.

Quo melius disquisitio nostra procedat, primum memoranda esse videntur veterum scriptorum de hac lege loca, unde et annum opportunitatemque, quibus lex lata est, cognoscemus, et cetera disputatio emanabit. Primarius autem, qui de ea agit, Livii est locus, 1) ubi haec refert: »Eo anno (C. Poetelio 2) Li-

1) Liv. VIII. 28.

2) Utrum *Poetelius*, an *Petilius*, an vero *Petillius* nomen Consulis fuerit, multum disputarunt viri docti. Neuhaus diss. laud. p. 26 not. d. scribandum esse *Petilium* existimat, cum ita scriptum nomen reperiatur in nummis, quos exhibet Vaillantius. Eandem ob caussam ei adsentitur Dabelow l. l. p. 84. Sed Poeteliorum et Petilliorum diversae gentes fuisse

bone Visolo et L. Papirio Mugillano Coss.) plebi Romanae velut aliud initium libertatis factum est, quod necti desierunt; 1) mutatum autem jus ob unius foeneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem." Narrat deinde C. Publilium, qui ob aes alienum paternum L. Papirio se nexum tradidisset, huius foeneratoris libidinem excitasse, ut primo perlicere adolescentem incesto sermone conaretur, dein minis territaret, postremo, quum nihil proficeret, verberibus affici juberet, quibus laceratum juvenem in publicum se proripuisse, ibique tantam sui misericordiam apud populum excitasse, ut ingens vis hominum primum in forum, dein agmine facto ad curiam concurreret. Quibus addit Livius: „ et quum Consules, tumultu repentino coacti, Senatum vocarent, introeuntibus in curiam

videntur, quum in marmoribus Capitolinis ex illa Consul memoretur C. Poetelius a. U. 393, ex hac vero Q. Petillius a. U. 577, illorumque frequens circa haec tempora mentio in historia fiat, Petilliorum vero demum diu postea. Quocirca Poetelium verum huius Consulis nomen fuisse, existimat Drakenborchius ad *Liv.* IV. 12. Cuius suspicionem etiam confirmat Dion. Hal. II. 58. inter Decemviros Πετίλιον referens.

1) Sigonius scribendum esse censet, *quod ligari nexi desierunt*, quam lectionem in Cod. quodam se invenisse testatur. Quum vero integerrimi Codd. huic emendationi adversentur, merito eam repudiavit Drakenborchius, facile illam varietatem lectionis inde oriri potuisse docens, quod *necti* olim in margine per *ligari* expositum fuerit, et utrumque verbum deinde a librariis in textum sit receptum.

patribus, laceratum juvenis tergum, procumbentes ad singulorum pedes, ostentabant. Victum eo die ob impotentem injuriam unius ingens vinculum fidei: jussque Consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur."

Similem narrationem retulerunt Valerius Maximus, Dionysius Halicarnassensis et Quinctilianus: eo tamen discrimine, quod Valerius de filio illius Veturii loquitur, qui in consulatu suo Samnitibus, ob turpiter ictum foedus, deditus fuerat: foeneratorem autem C. Plotium fuisse narrans, nullam legis, illa opportunitate latae, mentionem facit, sed Senatus jussu Plotium in carcerem ductum testatur. 1) Dionysius autem ab utroque in debitoris nomine discedit: ἑνὸς γὰρ, ait, τῶν παραδόντων Σαυνίταις τὸ στρατόπεδον χιλιάρχων καὶ ὑπὸ ζυγὸν ὑπελθόντων Ποπλίου υἱὸς, ὡς ἐν πολλῇ καταλειφθεὶς πενίᾳ, δάνειον ἠναγκάσθη λαβεῖν εἰς τὴν ταφὴν τοῦ πατρὸς, ὡς ἐρανισθησόμενος ὑπὸ τῶν συγγενῶν. Διαψευσθεὶς δὲ τῆς ἐλπίδος, ἀπήχθη πρὸς τὸ χρέος, τῆς προθεσμίας διελθούσης, κομιδῇ νέος ὢν καὶ τῇ ὄψει ὡραῖος. Memoratis autem et

1) Val. Max. VI. 1, 9.

injuria foeneratoris et adolescentis ad populum precibus, addit: *ἀγανακτήσαντος δὲ τοῦ δήμου, καὶ δημοσίας ὀργῆς ἄξιον ἡγησαμένου τὸ πρᾶγμα, καὶ τὴν κρίσιν κατηγορούντων τὴν εἰσαγγελίαν τῶν δημάρχων ὦφλε θανάτου δίκην· καὶ δι' ἐκεῖνο τὸ πάθος ἅπαντες οἱ δουλωθέντες πρὸς τὰ χρέα Ῥωμαῖοι, νόμῳ κυρωθέντι τὴν ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἐκομίσαντο.* 1) Quinctilianus vero, neque foeneratoris neque addicti nomine commemorato, seditionem illa opportunitate exarsisse testatur, populique Romani eo usque processisse vindictam, » ut ardentibus bello finibus, ad delectum nemo responderet, nisi et poena corruptoris et abrogatione legis satisfactum esset." 2) Denique Cicero in libris de Republica legis nostrae mentionem facit, paucissimis quidem verbis, sed quantivis pretii, quum Livii dictis perquam conveniant. » Fuerat fortasse, sic ait, aliqua ratio majoribus nostris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat, neque post aliquanto nostrum Senatum, cum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea desitum." 3)

---

1) Dion. Hal. *Excerpta Val.* p. 2338. Ed. Reiske. Cf. Suidas v. Γάϊος Λαιτώριος.
2) Quinctil. *Declam.* III, p. 73. Ed. Burm.
3) Cic. *de Rep.* II. 34.

Sunt haec, quae de lege nostra monuerunt antiqui: quibus fortasse addi possint verba Tertulliani: „Sed et judicatos in partes secari a creditoribus leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, et in pudoris notam capitis poena conversa est, bonorum adhibita proscriptione." 1) Eodem plerique referunt locum Varronis, a Sigonio sic emendatum: „Liber qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debet, dat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. Hoc C. Poetelio Visolo rogante, cautum (Codd. habent: *C. Popilia vocare* (*vacare*) *Sillo* (*Silla*) *dictatore sublatum*), ne fieret, et omnes, qui bonam copiam ejurarent (Codd. *jurarunt*), ne essent nexi, dissoluti." 2) Attamen, ut pluribus infra ostendetur, ad nostram legem haec verba haud pertinent, quum aliud quid significare videantur, neque conjectura illa ullius Codicis auctoritate confirmetur.

Ex locis autem allatis, quae fuerit legis nostrae ferendae opportunitas, abunde patet: unius enim libido et crudelitas, quae saepe gravissimis in republica Romana commutationibus ansam praebuit, 3) id quoque effecit,

1) Tertullianus *Apolog.* c. 4.

2) Varro, *de L. L.* VI. p. 101. Ed. Bip. (p. 582 Ed. Spengel, lib. VII. § 105. Ed. Müll.) Cff. Sigonius, *de ant. jure pop. Rom.* I. p. 96. et C. O. Müller in *Rhein. Museum für Jurispr.* I. p. 197 sqq.

3) Libido enim Sexti Tarquinii, ut pellerentur reges, Appii

ut minueretur juris antiqui severitas, civesque antiquam suam recuperarent libertatem. Difficilior vero ad dirimendum est quaestio, quo anno lata sit lex. Si enim Livio fidem habes, latam eam diceres anno 429 ab U. c., quo Poetelius et Papirius consulatu fungebantur: si vero Valerium Maximum, eadem narrantem, licet nihil de lege moneat, et Dionysium sequeris, post exercitum Romanum a Samnitibus sub jugum missum, itaque post annum 433, mutatum esse jus videbitur. Neque otiosa haec quaestio est. Etenim si Livii auctoritatem unice secuti, anno 429 latam esse legem contendimus, per paucissimos annos illa viguisse et brevi in desuetudinem abiisse dicenda est, quum idem Samnitico bello rursus evenerit, quod lege nostra fuit sublatum. 1) Quod tamen quominus statuamus, similitudo impedit narrationum, quae ita sibi invicem conveniunt, ut, quin idem significetur factum, dubium esse nequeat. Quocirca Niebuhrius hanc difficultatem solvere aggressus, legem revera a Poetelio latam esse contendit, sed Livium hujus viri dictaturam cum eiusdem consulatu confudisse, ideoque a° 429 factum esse narravisse, quod a° 441 (quo Dictator fuit Poetelius)

---

Claudii autem, ut tolleretur decemviratus, effecit. Qua de re cf. Hugo, *Rechtsgesch.* p. 74, 94, 99, 405.

1) Id statuerunt Dabelow, *Ausf. Entwick.* etc. p. 86. et Schrader in *Civil. Mag.* V. 2. p. 186.

accidisset. Quod probaturus, ad Varronis locum supra laudatum provocat, ubi e conjectura Sigonii e Dictatore Poetelio mutatum esse jus dicitur. 1) Quam tamen sententiam quominus veram dicamus, obstat primum, quod e conjectura, quamvis acutissima, nisi Codicibus nitatur, argumentum recte deduci nequeat; tum etiam, quod Livius a *Consulibus* legem fuisse latam diserte testetur. Itaque, qui mos apud Romanos invaluit, ut, si Consules ad populum ferrent, utriusque Consulis nomine lex insigniretur, 2) idem etiam in nostro casu obtinere debuit. Parum igitur verosimile est, legem a Dictatore latam, ideoque uno nomine insignitam, duobus Consulibus fuisse tributam. Neque tantum Livius, sed Valerius quoque *Consulum* mentionem facit, ad quos addictus juvenis querelam detulit: unde patet eo tempore Dictatorem Romae non fuisse, quum, dicto Dictatore, omnes magistratus, exceptis Tribunis plebis, muneere abirent. Quocirca statuere mallem, Livium C. Poetelium cum M. Poetelio confudisse, qui anno 440 cum C. Sulpicio consulatum gessit; 3) quem errorem facilius committere potuit,

1) Niebuhr, *Rom. Gesch.* Vol. III. p. 178, 343. Adsentiuntur ei C. O. Muller ad Varron. VII 105 p. 162. et F. A. Eckstein in Ersch u. Gruber, *Encycl.* v. *Papiria gens.* p. 163.
2) Heinecc. *Antiq.* I. tit. 2. § 3. p. 41. (Ed. Haub.) et Hugo l. l. p. 375.
3) Liv. IX. 24.

quum brevitatis caussa saepe sermonis usu unius Consulis nomine dicerentur leges. 1) Quae si statueris, res salva erit: tum enim cum Livio conveniunt Valerius et Dionysius, quippe foeneratoris illius injuriam post bellum Samniticum perpetratam esse memorantes: atque ita lex nostra, quae tum dicenda esset Poetelia Sulpicia, in annum 440 ab U. c. caderet.

Sed alia superest difficultas, quod Cicero et Livius *Senatus* auctoritate legem illam latam esse contendant, Dionysius vero unice *τοῦ δήμου* et Quinctilianus *populi* mentionem faciant, ideoque non legem sed plebiscitum significare videantur. Sed utrorumque sententiae facile conciliari possunt, quum Livius tradat, Senatum jussisse Consules, ferre ad populum. ne quis etc. Itaque recte illi Senatus auctoritate obaeratis auxiliatum fuisse, neque hi minus vere a populo legem fuisse latam, dicere potuerunt. Quae autem porro oriuntur difficultates de foeneratoris et addicti nominibus, in quibus minime conveniunt scriptores, praetermittemus, quum in narrationibus antiquis facillime circa nomina errari possit, neque id ad ipsam legem quidquam faciat.

1) Ne enim leges *Pompejas* et *Julias* afferam, exemplo sint: lex de ambitu, quam C. Calpurnius Piso et M' Acilius Glabrio Coss. tulerunt (Dio Cass. XXXVI. p. 18.), quamque Cicero simpliciter *Calpurniam* vocat e. g. *pro Mur.* c. 23. item lex a M. Junio Silano et L. Norbano Balbo lata, quae

## CAPUT II

### LEGIS POETELIAE CONSILIUM.

Cognita opportunitate, qua lex Poetelia lata est, et, quoad eius fieri potuit, eiusdam aetate constituta, quid statuerit quidque mutaverit, jam nobis disquirendum erit. Quod quidem facillimum videri possit, si Livii verba unice spectes, quibus legis caput et sententiam sic enarrat: »ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur; pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset.” Ex quibus verbis addictionem hac lege sublatam fuisse existimares. Attamen minime difficultate caret haec quaestio. Etenim multa adsunt testimonia, ex quibus patet posteriori tempore idem accidisse, quod haec ipsa lex sustulisse videatur, ut creditoribus suis addicerentur debitores, neque tantum eorum bona, sed et corpora pecuniae creditae essent obnoxia. In desuetudinem autem hanc le-

§ 8. Inst. de Succ. lib. et alibi *Junia Norbana* dicitur, a Gajo tantum *Juniae* nomine vocatur. Cf. Gajus I. § 22, 23, 80. II. § 110, 275. III. § 56, 57, 70.

gem abiisse, parum videtur probabile, quum eadem velut aliud initium libertatis fuerit, neque credibile sit, juris mutationem, tot tantisque laboribus contentionibusque impetratam, sponte neglexisse plebejos, eoque minus, quum ea aetate adesset Praetor, legum civilium vindex. Quam difficultatem ut solverent, praeeunte Salmasio, operam dederunt viri docti, eademque quaestio nostra memoria summos advertit viros, Niebuhrium, Savignium, Walterum alios, qui in explicanda nostra lege in diversas abierunt sententias. Has igitur hoc loco paucis adumbrare, haud abs re esse videtur, ut quaenam ipsis antiquorum de nostra lege verbis conveniat, videamus, nobisque, quale ipsius fuerit propositum, perspicuum fiat.

## § 1.

### *Sententia Niebuhrii et Zimmerni.*

Ac primum quidem veniunt Niebuhrius et Zimmerneus, qui quamvis in singulis a se invicem dissentiant, in cardine tamen rei conveniunt. Nexos enim ambo ab addictis distinguentes, illos dicunt esse, qui, ut mutuum contraherent fidemque facerent creditori, statuto die se redditures pecuniam, se ipsi per aes et libram mancipareut sive oppignerarent, seque cum familia et patrimonio suo creditori darent mancipio.

*Nexos* autem eosdem vocatos esse a *nexi* forma, qua mancipatio illa esset celebrata. De conditione vero, qua nexi versarentur, non idem uterque censuit. Niebuhrius enim eos interim liberos fuisse dicit, provocans ad legis XII tab. verba: NEXO SOLUTOQUE ..... IDEM JUS ESTO; si vero statuto tempore pecuniam non redderent, addictos eos fieri monet, idemque in eandem deduci conditionem, qua illos, qui se mancipio non dedissent, sed debitis non solvendis a Praetore creditoribus suis essent adjudicati. 1) Porro lege Poetelia sit illud nexum, sive oppignerationem personae, sublatum fuisse, inque eius locum successisse fiduciam; addictionem vero ad belli Punici secundi tempora in usu mansisse. 2)

Zimmerenus autem, quum Festi locum, 3) unde verba illa XII tab. desumsit Niebuhrius, lacunam esse intelligeret, quae ab interpretibus nonnisi conjecturâ esset restituta, et mancipationem in totum vitiari reputans per temporis vel conditionis adjectionem, 4) aliam iniit disputandi viam. Statuit enim nexum post mancipationem confestim capite minui et in creditoris mancipio quidem, non vero in eiusdem possessione esse,

1) Niebuhr, *Röm. Gesch.* Vol. I. (Ed. 3.) p. 637 - 646. Vol. II. (Ed. 2.) p. 667 - 673.
2) Ibid. Vol. III. p. 178 - 181.
3) Festus v. *Sanates.*
4) L. 77. D. de R. J. Cf. Fragm. Vat. § 329.

quum mancipatio per se possessionem non conferat. 1) Si autem, ait, ante diem constitutum solvebat, nexu erat solutus, a creditore manumittebatur, eiusque quasi libertus fiebat; si vero definito tempore non reddebat pecuniam, vindicabat eum apud Praetorem creditor, et addictione ejus possessionem adeptus, domum ipsum ducebat, ubi servi fere loco erat. Hoc autem quominus amplius fieret, prohibuit lex Poetelia, quae nihil in addictione mutans, sustulit illud nexum, vetuitque, ne quis, nisi qui noxae caussa se mancipasset, in compedibus teneretur, inque posterum ob creditam pecuniam sola bona debitorum, non corpora, oppignerarentur. 2)

Sententiam hancce de antiquo creditoris in debitore jure paucis abhinc annis felici successu impugnavit summus Savinius, quamquam ille magis Niebuhrii quam Zimmerni theoriam respexit. Negavit enim in antiquis fontibus ullum reperiri vestigium, unde effici posset, liberum hominem se ipsum alteri mancipio dare potuisse, sed et apud Gajum et apud Ulpianum mancipationem tantum occurrere liberorum, qui in patria potestate, et mulierum, quae in manu essent. 3)

1) Gaj. II. § 204. IV. § 131. Fragm. Vat. § 313.

2) Zimmern, *Gesch. des Röm. Privatr.* Vol. III. p. 124-137

3) Gaj. I. § 116 sqq. Ulpianus tit. XI. 5. Festus v. *deminutus.*

Neque obstant verba Postumii Consulis apud Livium: *in id, quod nostrum est, in id, quod praestare possumus, corpora nostra et animos: in haec saeviant* rel.; 1) unde efficeret aliquis, revera civi Romano jus competere se mancipandi, quum libere quisque de eo, quod suum sit, disponere possit. Quod etiamsi negari nequeat, si de physica hominis facultate loqueris; juris tamen ratione habita negandum est, quum alter eum mancipio accipere nequeat, nisi jure et concedentibus legibus. Alia vero Postumii caussa erat; quum enim Samnitibus se tradere vellet, commode haec traditio, licet civis Romani, fieri potuit, quum illi occupationis jure eum acquirerent, neque legibus Romanis, quominus id facerent, impedirentur. Praeterea ne civem Romanum se ipsum mancipare potuisse statuamus, obstant verba Callistrati: *conventio privata neque servum quemquam neque libertum alicuius facere potest.* 2) Nam etiamsi de servo tantum et liberto loquatur, idem tamen ad eos quoque referendum est, qui in mancipio erant, quorum servilis plane erat conditio. 3)

1) Liv. IX. 9.
2) L. 37. D. de Liber. caussa.
3) Gaj. I. § 123. — Niebuhrii de nexo sententiae pro parte favens Puchta, *Lehrb. für Institutionen-Vorlesungen* München 1829. p. XXXVIII, ita ratiocinatur. nexum, ait, mancipatio est alicuius rei, obligationem constituens: quodsi

Ut autem sententiam suam commendaret Zimmerenus, provocavit ad coëmptionem et arrogationem, in quibus simile quid contigerit. Attamen longe diversa earum est et istiusmodi nexi natura. Etenim in manum conventio antiquo jure Romano usitatissima erat, eaque non magnopere civilis feminarum conditio mutabatur, quum semper, si non in manu erant, vel in potestate parentis vel in tutela agnatorum essent. Qui vero in mancipio erant, servorum fere loco erant, ita ut, teste Gajo, iisdem verbis mancipio acciperentur, quibus servi, et ab eo, cuius in mancipio essent, neque hereditatem neque legata aliter capere possent, quam si simul eodem testamento liberi esse juberentur. 1) Neque multum Zimmereni sententiam confirmat arrogationis exemplum. Nam etiamsi ea esset ipsius ratio, ut aliquis, qui sui juris esset, in alienam se potestatem traderet, requirebatur tamen populi auctoritas et

mutuum nexi forma contrahitur, vel pecunia vel ipsa debitoris persona mancipetur, necesse est: at pecunia, quippe res nec mancipi, mancipari nequit: consequens igitur est, ut debitoris persona objectum sit mancipationis. — Hisce tamen ne adsentiamur, obstat primum, quod caussa deest, cur res mancipi tantum mancipari potuisse statuamus, quum diserte id dicatur nusquam, et hereditas, quae inter res mancipi nuspiam memoratur, rite manciparetur. Praeterea animadvertendum est, nexi formam, i. e. aes et libram, in mutuo non adhibitam fuisse ad aliquam rem mancipandam, sed potius ad solvendam pecuniam, quae antiquitus non numerabatur, sed appendabatur per libram. Gaj. I. § 122. Qua de re pluribus infra.

1) Gaj. I. § 123.

arrogatoris jusjurandum, [1]) eaque erat Romanorum de civium libertate sententia, ut eam nonnisi a populo alicui auferri posse existimarent. Quodsi igitur ita de patria potestate statuebant, qui fieri potuit, ut aliquem sua sponte se in mancipium, id est in servilem conditionem, dare comprobarent?

Neque utilitatem istiusmodi nexi (si revera interponi potuerit) videmus, quum ex lege XII tab. satis amplum creditori in debitore suo competeret jus. Si enim inops erat debitor, neque debitum statuto tempore solvere poterat, parum creditoris intererat, mancipio eum an vero addictum sibi haberet: si vero lautum debitori erat patrimonium, sed avaritia solvere nolebat, habebat creditor, quo ipsum ad solvendum cogeret, quum eum vel occidendi vel trans Tiberim vendendi jure gauderet.

Sed alia etiam, quominus veram esse Zimmereni sententiam dicamus, impediunt. Contendit enim creditorem illa mancipatione non possessionem debitoris, sed tantum jus eum vindicandi sibi acquisivisse, ideoque si dies venisset, neque ipsi satisfactum esset, eum apud Praetorem vindicare potuisse. Veruntamen creditor tamdiu exspectare non debebat, sed quotidie, etiamsi dies nondum venisset, eum vindicare poterat,

1) Gell. V. 9.

quum jus vindicandi ipsa mancipationis solennitate sibi acquisivisset; neque doli mali aut pacti conventi exceptione tam removeri potuisset, quum dies vel conditio in mancipatione adjici nequiret. 1) Quodsi autem propriam mancipationis naturam et effectus attenderis, minime in hoc casu interponi potuisse videbitur. Etenim mancipatus statim post mancipationem jure est in mancipio creditoris; qui autem alteri mancipio datur, patrimonium suum ad eum transfert: consequens igitur est, ut pecunia, Titio mutua data, ad creditorem jure revertatur statim, ipseque revera sibi credat et solvat, neque Titius illud accipiat, ob quod se ipse mancipio dederit. Praeterea, si eius sententiam sequimur, nulla afferri ratio potest, quare tot tantaeque apud Livium et Dionysium legantur obaeratorum de juris severitate querimoniae. Tum enim non leges, sed ipsorum imprudentia caussa fuisset miseriae, qua detinerentur, conditionis, quippe qui, quum leges obaeratos creditoribus addici juberent, ipsi suam conditionem pejorem reddidissent. Neque video, si illa sententia vera est, cur Livius lege Poetelia velut aliud libertatis initium factum et jus mutatum esse dixerit. Jus enim mutari dici nequit lege, quae, ut communi jure, non vero privatis pactionibus, negotia diriman-

1) Cf. v. Scheurl *vom Nexum*. p. 29.

tur, praecipit: neque libertati magnopere consulere dicenda est lex, quae ut sponte quidem se cives in servilem conditionem conferant, vetat, non tamen prohibet, quominus idem e magistratu perficiatur. Denique animadvertendum, Zimmerenum Livii locum, ubi de lege nostra loquitur, in suam quidem sententiam explicuisse, spreta tamen propria et nativa verborum significatione. Ac primum quidem verba: *qui noxam meruisset*, interpretatur de eo, qui noxae caussa se mancipio dedit; attamen *noxam merere* idem significat, quod poenam merere, sive committere aliquid, quo poena dignus quis fiat. 1) Hanc autem eorum verborum esse vim, comprobant verba sequentia: *donec poenam lueret*, ut idem dicere voluerit nostra lex, quod monuit Ulpianus: *carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.* 2) Deinde verbis: *pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset*, id significari voluit, ut ob creditam pecuniam in posterum tantum bona debitorum, non vere ipsorum personae, oppignerarentur. Sed voci *obnoxius*

1) Noxa enim saepe poenam significat. Festus v. *noxa*. *Noxa ponitur .... pro peccati poena.* Servius ad lib. I. vs. 45 Aeneid. *Noxa autem poena est.* Fronto, *de diff. voc.* p. 278. Ed. Nieb. *Noxa poena est.* Cff. Salmasius, *de modo usur.* p. 888. et Cl. Birnbaum, *Untersch. zwischen crimen und delictum bei den Römern*, in *Neues Arch. des Criminalrechts.* VIII. p. 114, 653. IX. p. 378.

2) L. 8. § 9. D. de Poenis.

nulla oppignerationis notio inest, sed significat plerumque, qui obligatus, subjectus, expositus est; 1) quae vocabuli nativa vis illi loco ita convenit, ut aliam ei obtrudere significationem non liceat. Denique haud recte ab eo prius legis caput ad praesentia tantum tempora, posterius vero ad futura, refertur, qua de re tamen infra uberior disquirendi locus erit.

## § 2.

### *Sententia Savinii.*

A Niebuhrio et Zimmereno plane diversam sententiam amplexus est summus Savinius, ut et antiquum debitorum jus et legis Poeteliae propositum adumbraret. Statuit enim variisque antiquorum locis, ut et lege XII tab. confirmare studuit, magnum jure Romano intercessisse discrimen inter debita, quae ex pecunia credita et quae ex ceteris contractibus aut delictis originem ducebant, illamque differentiam in eo maxime constitisse, quod in illis tantum, non vero in his, debitorum addictio locum haberet. 2) Specialibus porro legibus mutuo assimilatas esse alias obligationes, ut lege Publilia actionem depensi, qua sponsor, qui pro

1) Festus in voce: *Obnoxius, qui ad poenam obligatus ob delictum.* Cf. de eo vocabulo Gell. VII. 17.

2) v. Savigny, *ub. das altrom. Schuldrecht* p. 4-6.

debitora solvit, si is in sex mensibus proximis, quam pro eo depensum esset, pecuniam ipsi non solvisset, ei manum injicere eumque domum ducere potuit. Eadem autem vis, sic pergit Savinius, ceteris quoque contractibus conciliari potuit a contrahentibus, interponendo nexo, quod nihil aliud est, atque mutuum imaginarium sive symbolicum, quo ceterae obligationes in mutui formam commutantur. Practica autem huius utilitas maxime cernitur in usuris, quae jure Romano non, ut hodie, uno eodemque contractu cum mutuo, sed separatim promittebantur: quaeque, si non solverentur, non efficere poterant, ut debitor creditori suo addiceretur. At vero, nexi forma interposita, aequiparabantur mutuo, ideoque eosdem effectus habebant. 1) Quum vero propter nexum illud miserrima esset debitorum conditio, quia usuras quotidie crescentes solvere nequirant, ac propterea addicerentur creditoribus, lata est lex Poetelia, qua nexum istud est sublatum, cautumque ne in posterum mutuo assimilarentur alii contractus; maneret tamen debitoris addictio in caussa pecuniae creditae, inqua depensi actione. 2)

Fundamentum igitur huius theoriae est insignis illa differentia, quam statuit Savinius, inter pecuniam cre-

1) v. Savigny, ibid. p. 9-12.
2) Ibid. p. 14-17.

ditam et ceteros contractus: qualem si non obtinuisse demonstraveris, non recte illa procedere videbitur. Quod quominus admittamus, duo obstant Dionysii loca, ubi non ex mutuo tantum, verum etiam ex aliis contractibus addictionem locum habuisse patet. Ac primum quidem, quum narrasset, obaeratos militiae nomen dare noluisse, monstrantes vincula sua et compedes, pro quibus dimicare recusarent, Servilii Consulis memorat edictum: ὅσοι ἂν Ῥωμαίων ἐπὶ τὸ κατὰ Οὐολούσκων πόλεμον καταντῶντες ἐκστρατεύσωσι, τὰς τούτων οἰκίας μηδένα ἐξεῖναι μήτε κατέχειν, μήτ' ἐνεχυράζειν, μήτε γένος αὐτῶν ἀπάγειν πρὸς μηδὲν συμβόλαιον, μήτε κωλύειν τὸν βουλόμενον τῆς στρατείας κοινωνεῖν. 1) Alter autem locus est, ubi M' Valerii Dictatoris verba refert: τέως δ' ἀφείσθω πᾶσα μὲν οὐσία, πᾶν δὲ σῶμα, πᾶσα δ' ἐπιτιμία πολίτου Ῥωμαίου ἀῤῥυσίαστος, ἀπὸ τε δανείου καὶ ἄλλου παντὸς συμβολαίου. 2) Ex quibus locis illud patere videtur, non unice ex mutuo debitorum corpora creditoribus fuisse obnoxia. Ne quis tamen mihi opponat, Dionysinm haec de jure antiquissimo dixisse, quum Savinius tantum de jure XII tab. loquatur: etenim ut multis in rebus, sic quoque hac in re antiquum jus confirmavit lex XII tab., ut

1) Dion. Hal. VI. 29.
2) Ibid. VI. 41.

ex Livii et Dionysii historia facillime effici potest. Quodsi tantopere ab eo recessissent decemviri, ut quod primum omnibus contractibus esset commune, ad unum tantum restringerent, mirum foret, id non disertis verbis fuisse expressum, tantaeque immutationis nullam mentionem comperere.

Jam vero videamus, quibus argumentis illam differentiam probet Savinius. Ac primum quidem adhibet locum Gellii, qui legem XII tab. allaturus, haec praemittit: » hanc autem fidem majores nostri non modo in officiorum vicibus, sed in negotiorum quoque contractibus sanxerunt, maximeque in pecuniae mutuaticiae usu atque commercio. Adimi enim putaverunt subsidium hoc inopiae temporariae, quo communis omnium vita indiget, si perfidia debitorum sine gravi poena eluderet. Confessi igitur aeris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati" etc., quibus deinde ipsa XII tab. verba annectit: AERIS CONFESSI REBUSQUE JURE JUDICATIS XXX DIES JUSTI SUNTO rel. 1) Ex hisce igitur verbis ingeniose efficit Savinius, legem XII tab. unice in caussa mutui addictionem sanxisse, quum Gellius dicat: *maximeque in pecuniae mutuaticiae usu*, quae cum legis verbis arcte conjungit; eamque interpretationem eo quoque confirmari, quod *aeris* unice

1) Gell. XX, 1.

mentionem fecerint decemviri. Attamen ipsum, quo haec sententia nititur, vocabulum *mutuaticiae*, dubium est, an revera scripserit Gellius, quum apud nullum alium scriptorem legatur, et Codd. nonnulli lectionem *mutuationis* exhibeant. 1) Sed etiamsi vulgatam recipiamus, commode legis verba ad priora referri possunt, ut sententia sit Gellii: fidem majores in omnibus contractibus spectarunt, ita ut, qui debitum non solveret, addictione ad solvendum cogeretur, sed in mutua pecunia id ante omnia observarunt, quum admi hoc putarent subsidium inopiae, si perfidia debitorum sine gravi poena eluderet. Quod si non statuis, inania sunt plane, quae dixit de fide in negotiorum contractibus sancita: tum enim, si quis, aedibus conductis, solvere mercedem, vel depositum reddere nollet, sufficiebat, ut bona sua dilapidaret vel absconderet, ut a solutione liber esset; tum inopes impune damnum in-

1) Hanc lectionem in Codd. Neapolitanis se invenisse, benevole mihi communicavit Praeceptor aestumatissimus Cl. Holtius. In Bibliotheca regia Mus. Borb.:

CCCXCV. Codex V. B. 1. *in pecunie mutuatice usu atque comertio.*

CCCXCVIII. V. B. 4. *in pecunie mutatione usu atque commertio.*

CCCXCVI. V. B. 2. Codex membran. *in pecunie mutuatōe usu atque comertio.*

CCCIC. V. B. V. Membran. *mutuatione usu atque comertio.*

*Mutuatione* commendant Ciceroniana exempla, quae sunt apud Forcellini.

ferre et committere furta poterant, quum poena pecuniaris esset, ad quam solvendam corpore cogi non possent. Non hanc profecto Romani habuerunt de fide opinionem. Senecam audias: » Quid? tu tam imprudentes judicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumsit, et eum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit? *Nullam excusationem receperunt, ut homines scirent, fidem utique praestandam.*" 1) Quodsi igitur tam magnifice de fide statuerunt, nonne absurdum esset, eos in uno tantum contractu eius rationem habuisse, in ceteris vero eam non tanti fecisse? Si vero quaeris, quare Gellius majores suos maxime in mutuo fidem sanxisse dixerit, recordare Ciceronis verba: » nulla res vehementius rempublicam continet, quam fides: quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum." 2) In mutuo enim quum de aliena pecunia agatur, quam certo die te restituturum promisisti, summa perfidia erit, si promissis non steteris, quam impune committi publica utilitas vetat · praeterea in hoc contractu saepissime evenire debuit, ut sortem usuris adauctam debitor reddere ne-

1) Seneca, *de Benef.* VII. 16. Cf. Tacit. *Ann.* VI. 17.
2) Cic. *de Off.* II. 24.

quiret, atque ita frequentissime addictione ad recuperanda amissa uterentur creditores, qua minus opus erat in ceteris contractibus, in quibus levius solet esse damnum, idemque facilius resarciri potest. Neque etiam id significare voluisse Gellium, quod affirmat Savinius, testatur commune verbum *debiti*, ubi dicit *confessi igitur aeris ac debiti judicatis*, quod non unice de mutuo, sed de quoque debito intelligi potest. 1) Praeterea lex XII tab. dicens: *rebusque jure judicatis*, non ad mutuum id restringi voluit, sed universe de quacumque judicati caussa loquitur; quam distinctionem si revera inducere voluisset, sine dubio apertius id declarasset, quum ex Dionysii locis supra adscriptis pateat, ante decemviros addictionem ex omni debito locum habuisse.

Quodsi cum Savinio ob creditam pecuniam corpus debitoris, in ceteris vero contractibus bona addicta fuisse creditoribus existimas, durior quodammodo creditoris in illo casu, quam in hisce conditio fuisset. Etenim lex XII tabularum quum addicta permitteret, ut sua viveret, 2) nullum creditori in addicti bonis

1) Sic quoque paulo superius Favorinum dicentem facit: *si unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque sit pluribus.*

2) Verba enim XII tab. sunt: SI VOLET, SUO VIVITO, NI SUO VIVIT, QUI EM VINCTUM HABEBIT, LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO, Gell. XX. 1. Cff. Dirksen, *Uebers. der*

jus concedebat, quocirca hic donare et alienare sua bona in ipsius fraudem potuit. Itaque quum ceteri creditores ipsius bona distraherent, ut sibi satisfacerent, ille, qui pecuniam crediderat, exspectare et corpore debitoris contentus esse debebat. Non idcirco tantum mutui privilegium esset dicendum, quantum fuisse contendit summus ille Jureconsultus. Si vero quis dicat etiam illum, qui corpus debitoris obtinebat, eodem distractionis jure uti potuisse: nihil enim vetare, quominus utraque jura pariter competant: addam hanc non fuisse mentem et intellectum decemvirorum, uti rem refert Gellius: *jus interea paciscendi* lege erat comprehensum, tanquam vulgare et ordinarium, quo declaratur, debitori suam durare pecuniam, ad quam ut facilius pervenire possent, creditoribus in primis jus ducendi debetur, quasi pertinaciae hominis vincendae adminiculum. Qui cum praefracte solvere detrectaret, carceris duritie et majoris mali metu subigendus erat. 1) Cogitandum etiam videtur, an du-

---

*bisherigen Vers. zur Krit. und Herst. des Textes der Zwölf-Tafel-Fragm.* p. 251. Bethmann-Hollweg, *Gerichtsverf. und Prozess des sinkenden Röm. Reichs*, p. 299. not. 10.

1) Egregie hoc illustratur hisce Livii verbis, VIII. 14: *In Veliternos, veteres cives Romanos, .... graviter saevitum .... jussi trans Tiberim habitare. ut eius, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad* **mille pondo** *clarigatio esset,* **nec prius quam aere persoluto,**

plex huiusmodi *executionis* systema, quale Saviniana interpretatio infert, temporum simplicitati et legum decemviralium ingenio conveniat. Ita quoque de lege judicabat Niebuhrius.

Neque Gajus Savinii sententiae favet, universe de judicato ex lege XII tab. loquens: » per manus injectionem, ait, agebatur .... velut judicati lege XII tab., quae actio talis erat; qui agebat, sic dicebat: QUOD TU MIHI JUDICATUS SIVE DAMNATUS ES SESTERTIUM X MILLIA, QUAE DOLO MALO NON SOLVISTI, OB EAM REM EGO TIBI SESTERTIUM X MILLIUM JUDICATI MANUS INJICIO." 1) Non igitur in mutuo tantum, sed universe in omni judicati caussa per manus injectionem agi dicit: neque dubium est, si ad illum casum id restringere voluisset, quin plenius id explicuisset, ut mox in caussa legis Publiliae et legis Furiae de sponsu fecit; idque eo magis, quum antea, quid esset *judicatum*, interpretatus, nihil de ea distinctione monuisset. 2) Difficultas tamen

*is, qui cepisset, extra vincula captum teneret.* Poena igitur erat mulcta, qua soluta liber dimittebatur, si vero solvere nollet vel nequiret, carcere et vinculis ad solvendum cogebatur.

1) Gaj. IV. § 21. — Pariter in tit. D. de Re judicata, *judicati actio* saepissime memoratur, quae ad omne judicatum, non unice ex mutuo, refertur.

2) Gaj. III. § 180. *Si condemnatus sit, sublata litis contestatione, incipit ex caussa judicati teneri. Et hoc est, quod apud veteres scriptum est: ante litem contestatam dare debitorem oportere: post litem contesta-*

hic oritur, quam interpretatione sua tollit Savinius, quid de manus injectione pro judicato statuendum sit, quam ex aliis quibusdam caussis, cum alias leges, tum etiam legem Publiliam et Furiam in quosdam dedisse Gajus testatur. Savinius enim manus injectionem in caussa mutui tantum valere defendens, iis legibus eam ad alias caussas prolatam esse dicit, indeque nomen *pro judicato manus injectionis* invaluisse. Si vero ex omni judicato per manus injectionem agi licuisse statuis, non continuo apparet, quae fuerit utilitas mutationis, per leges illas introductae. Sed commode hoc explicari potest, si reputas in ceteris caussis non fuisse permissam manus injectionem, nisi res in judicium esset deducta et condemnatio secuta: bino in formula apud Gajum: *quod tu mihi judicatus sive damnatus es.* In actione vero depensi ceterisque caussis, quibus pro judicato manus injectio permittebatur, nulla requirebatur judicis sententia sive condemnatio, ut Gajus testatur, dicens: *hi quibus pro judicato actio data erat, nominata caussa, ex qua agebant, ita inferebant: ob eam rem ego tibi pro judicato manum injicio.* 1)

Savinius porro ad confirmandam suam sententiam loco

---

*tam condemnari oportere post condemnationem judicatum facere oportere.*

1) Gaj. IV. § 24. Cf. Bethmann-Hollweg l. l. p. 301.

ntitur tabulae Heracleënsis: *inque eam rem is, quocumque de ea re aditum erit, judicem judiciumque ita dato, uti de pecunia credita (judicem) judiciumque dare oporteret.* 1) Qui locus sine dubio magnum confirmat discrimen esse iuter pecuniam creditam et ceteras debiti caussas, nt et alii observarunt: 2) quale discrimen et aliae leges testantur, postea nobis examinandae. Verum ut argumentatio auctoris vim habeat, necesse est dicere, *pecuniam creditam* unum idemque esse, atqne *pecuniam mutuo datam.* At hoc equidem induci non possum, ut admittam. Primum enim adversatur contraria Gaji interpretatio: „*pecuniam creditam* dicimus non solum eam, quam *credendi caussa* damus, sed omnem, quam tunc, cum contrahitur obligatio, *certum est debitum iri* .... itaque et ea pecunia, *quam dari stipulamur*, eodem numero est, quia certum est eam debitum iri.'' 3) Qua significatur, etiam *stipulatam* pecuniam *creditae* pecuniae nomine contineri. Deinde obstare videntur rubrica Digestorum et fragmentum Ulpiani primo loco

1) Tab. Heracl. vs. 44–45.

2) Vidd. Marezoll, *Fragm. legis Rom. in aversa tab. Heracl. parte* Gött. 1816. p. 101. Hugo, *Rechtsgesch.* p. 286. v. Schearl vom *Nexum.* p. 34.

3) Gaj. III. § 124. Addit: *appellatione autem pecuniae omnes res in ea lege significantur.* Prior igitur interpretatio generalis est, posterior sola ad legis Cornelias intellectum pertinet.

subjectum. Rubrica est: *de rebus creditis, et certum petetur et de condictione;* qua non mutui separatio, sed distinctio certi et incerti declaratur. Ulpianus autem dicit: *ut Celsus ait, credendi generalis appellatio est.* 1) In primis vero rem conficit Ciceronis locus, pro Roscio Comoedo dicentis: » pecunia petita est certa, *cum tertia parte sponsio facta est.* Haec pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit." 2) Enumerat tres caussas, ex quibus certa pecunia possit peti, mutui dationem, literarum obligationem, stipulationem; in quibus omnibus locum habere posset sponsio tertiae partis. Adhibeamus jam huic loco Gaji verba de eadem tertiae partis sponsione dicentis: »Ex quibusdam caussis, ait, sponsionem facere permittitur, velut de pecunia credita et pecunia constituta; sed *certae quidem creditae pecuniae tertiae partis*, constitutae vero pecuniae partis dimidiae." 3) Quid igitur est *certa credita pecunia*? Est pecunia data non tantum, sive mutuo data, sed est item

1) L. 1. D. de Reb. cred. *Quoniam multa ad contractus varios pertinentia jura sub hoc titulo Praetor inseruit, ideo rerum creditarum titulum praemisit. Omnes enim contractus, quos alienam fidem secuti instituimus, complectitur. Nam ut .... Celsus ait, credendi generalis appellatio est.* Cf. L. 10, 11, 12. D. de V. S.

2) Cic. *pro Rosc. Com.* c. 5.

3) Gaj. IV. § 171 et § 13. Cf. J. A. C. Rovere, *Comment. jurid. in Cic. orationem pro Q. Rosc. Com.* p. 10, 15.

expensa lata et stipulata. Postremo operae pretium fieri videtur, si addamus Quinctiliani locum: 1) »accidit aliquando alteri, et saepius actori caussae, vel quia satis est proponere, vel quia sic magis expedit. Satis est dixisse: *certam creditam pecuniam peto ex stipulatione.*" Intelligi potest numerata eademque stipulata, quod usu venire crebro debuit; at item, stipulata ex alia caussa, orator autem ex stipulationis obligatione proxime repetit, nec tamen ei propterea minus *pecunia est certa credita.* Concludo pecuniam creditam non idem esse quod mutuam, sed latius patere.

Hac igitur interpretatione remota, superest tantum distinctio inter pecuniam certam et incertam. Haec plures caussas habere potest, quas hominum utilitas et commerciorum facilitas commendare videntur. Praecipuum fuisse arbitror quaestionis simplicitatem. Cum ex stipulatu, ex mutui datione, vel literarum obligatione, qualis apud Romanos erat, pecunia certa petebatur, probato facto stipulationis, numerationisve, aut exhibitis tabulis, continuo patebat, quid quale quantum in obligatione esset; in aliis caussis secus erat, ideoque mirum non est, litigandi ratione illas tres caussas a reliquis fuisse separatas: jurisdictionem acriorem,

1) Quinct. *Inst. Orat.* lib. IV. c. 2. p. 314. Ed. Burm.

potentiorem coërcitionem inficiantis, ut apud Ciceronem et apud Gajum legimus.

Aliud argumentum repetit Sevinius ex antiqua furis manifesti poena, qui verberatus addicebatur ei, cui furtum fecerat. 1) Si igitur, ait, ex quoque judicato addictio sequebatur, nulla ratio est, quare Juresconsulti addictionem furis manifesti tanquam peculiare quid proposuerint, quum saepissime evenire debuerit, ut fur nec manifestus duplum solvere nequiret, ideoque addiceretur ei, cui furtum fecisset. Attamen, quod idem egregie animadvertit, in fure manifesto addictio mera erat poena, non igitur detentio erat tantum per sexaginta dies, ut in ceteris judicatis, quibus elapsis capite plectebatur aut peregre vendebatur, sed capitalis erat statim. 2) Quam ob rem ei non licebat resarcire damnum, furto commissum, (nisi consentiret adversarius, quum de omni fere caussa, imo de furto ex jure XII tabularum pacisci liceret 3)) neque vindicem dare, qui pro eo ageret; ne-

1) Gaj. III. § 189. Gell. XI. c. ult. Serv. *ad Aeneid.* VIII. 205 Isidor. Orig. V. 26. Theoph. IV. 12. pr.

2) Gaj. III. § 189. *Poena manifesti furti ex lege XII tabularum capitalis erat. Nam liber verberatus addicebatur ei, cui furtum fecerat.* Cf. IV. § 112. *Furti quoque manifesti actio, quamvis ex ipsius Praetoris jurisdictione proficiscatur, perpetuo datur; et merito, cum pro capitali poena pecuniaria constituta sit.*

3) L. 17. § 14. D. de Pact.: *et de furto pacisci lex permittit.* L. 17. § 1. Eod., *quaedam actiones per pactum*

que ei concedebantur triginta dies, qui ceteris judicatis ad expediendam pecuniam dabantur. Omnia vero haec ceteris furibus non denegabantur, quorum poena erat pecuniaria, duplum, triplum vel quadruplum; neque idcirco mirum esse potest, Jureconsultos furis manifesti addictionem tanquam plane peculiarem propo-suisse, et quaesivisse, utrum ille servus efficeretur ex addictione, an adjudicati loco constitueretur. 1)

Paucis denique agamus de lege Galliae Cisalpinae, quam suae sententiae in primis adminiculari existimat Savinius. Cuius summa disputationis huc redit: legem concessisse duumviris, ut in caussa creditae pecuniae reum, qui apud talem magistratum se debere confessus esset, vel in jure non respondisset, vel sponsione judicioque se non defendisset, duci, in ceteris vero caussis tantum eius bona possideri, proscribi et venire juberet. Si vero vel persona debitoris, vel ipsius bona Romae adessent, Praetori urbano in omnibus iis rebus eandem potestatem a lege esse datam, qualem habuisset, si apud ipsum reus confessus esset, id est, ut in caussa creditae pecuniae corpus, in ceteris vero

---

*ipso jure tolluntur, ut injuriarum, item furti.* — Hinc in addictione furis manifesti exceptio erat a regula, quam dedit Quinct. *Inst. Orat.* VII. 3. p. 620 Ed. Burm.: *servus invito domino libertatem non consequetur, addictus solvendo citra voluntatem consequetur.*

1) Gaj. III. § 189.

caussis bona debitoris creditori addiceret. Hinc tamen non licere, si executio a Praetore jussa esset, eandem ab alio (veluti municipali) magistratu petere. 1) Hisce autem mirifice Savinii sententiam confirmari, sponte intelligitur; attamen egregius auctor ingeniosius quam verius illam legem interpretatus videtur. Quod ut demonstremus, praemittendum est, in hac lege, pariter atque in tabula Heracleënsi, discrimen inter pecuniam creditam et ceteras caussas occurrere, quia ex illa in primis condictio certi oriatur, quam ob rem *de pecunia certa credita* sermo habetur. 2) Quocirca huc revocanda est disputatio nostra superior de significatione *creditae pecuniae.* In hac caussa, ut diximus, quae simplex erat et cognitu facilis, lex magistratui municipali eandem potestatem concedit, quam Romae Praetor habet, si ex judiciis datis reus condemnatus est, videlicet ut eum actori addicere possit. In ceteris vero caussis, ubi incertum petebatur, ideo-

1) v. Savigny l. l. p. 19–25.

2) Col. II. vs. 1. *A quocumque pecunia certa credita .... petetur.* Vs. 25. *a quo praeter pecuniam certam creditam .... petetur.* — Hinc etiam in hac caussa simpliciter dicit lex (vs. 4–5): *si is eam pecuniam .... dare oportere debereve confessus erit;* in cap. XXII vero, ubi de ceteris caussis agit, longior est: *si is eam rem dare (facere) praestare, restituereve oportere, aut se debere, eiusve eam rem esse, aut se eam habere, eamve rem, de qua arguetur, se fecisse, obligatumve se eius rei, noxiaeve esse confessus erit.*

que perplexiori inquisitioni locus erat, alia legislator constituit. Capite enim sequenti dicit: » A quo quid praeter pecuniam certam creditam ... petetur, ... si is eam rem ... confessus erit ... siremps lex, res, jus caussaque ... esto, atque uti esset, esseve oporteret, si is ... Romae apud Praetorem ... in jure confessus esset .... Praetor isve, qui de ea re Romae juri dicundo praeerit, in eum et in heredem eius de ea re (siglam D. E. R. explicat Savinius *de eis rebus*) omnibus ita jus dicito, decernito, eosque duci, bona eorum possideri proscribive venireque, jubeto, ac si ... apud eum ... confessus esset. Dum ne quis de ea re (sive *de eis rebus*) nisi Praetor, isve qui Romae juri dicundo praeerit, eorum cuius bona possideri proscribi venire ducique eum jubeat." 1) Savinius, ut vidimus, tres illos verborum contextus separatim explicat, ac primum quidem ita interpretatur, quasi lex hisce casibus magistratui municipali concesserit, ut rei bona proscriberet, quum opponatur executioni ex caussa mutui, quam capite XXI addictione ipsius debitoris constare dixerat. Alterum vero de singulari caussa explicat, si reus non in municipio sed Romae adesset, et siglam D. E. R. hic *de eis rebus* significare dicens, haec ad omnes caussas supra memoratas, tam pecuniae

1) Cap. XXII. Col. II. vs. 25 - 52.

creditae, quam ceteras refert. Quod tamen quominus admittamus, primum obstat, quod caput XXI de pecunia credita, caput XXII vero de ceteris rebus agit, neque idcirco probabile sit, legislatorem duobus locis de eadem re locutum fuisse, eoque minus in lege, quae accuratissime singula definiat. Deinde parum verosimile est, legem eodem capite singularem casum complexam de eo tam obscure monuisse, ut nonnisi artificiosa interpretatione ad eius cogitationem perveniri posset. Denique, quominus siglam D. E. R. cum Savinio *de eis rebus* notare dicamus, prohibet, quod ubivis in hac lege *de ea re* significet: sed etiamsi illam sequamur interpretationem, vel sic tamen non probatur, haec verba etiam ad caussam pecuniae creditae, praecedenti capite memoratam, esse trahenda, quum capitum divisio, ut diximus, huic adversetur. Quae vero Savinius separatim explicat, arcte conjungenda esse videntur, unde haec oritur legis sententia: in iis caussis, ubi incertum petitur, si quis apud magistratum eam rem confessus sit, idem juris erit, ac si Romae apud Praetorem confessus esset. Quod accuratius expliciturus, addit legislator: Praetori in hac caussa idem faciendum esse, quod facturus esset, si quis apud ipsum confessus esset, nimirum ut reum addicat actori eiusve bona possideri proscribi et venire jubeat. Utque omne dubium, quod oriri posset, auferret legis-

quitus vetitam fuisse versuram dicat, 1) et Appianus mentionem faciat *νόμου τινὸς παλαιοῦ διαγορεύοντος, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν.* 2) Sed finge, nulla lege, quominus quis foenus acciperet, fuisse impeditum, neque tum necessarium fuisset Romanis, ut novi formâ usurae conciperentur, et assimilarentur ipsi mutuo. Antiquitus enim, quum mutuum per aes et libram contraheretur, si promittebantur usurae, valebant tanquam lex mancipii, sive potius lex nexi, ex notissimis legis XII tabularum verbis: CUM NEXUM FACIET MANCIPIUMQUE, UTI LINGUA NUNCUPASSIT, ITA JUS ESTO: 3) quae si quis infitiatus esset, dupli poenam subibat. 4) Neque etiam verosimile est eo tempore symbolice adhibita esse aes et libram, quo etiam tum appendebatur pecunia. Demonstravit enim Niebuhrius, eique assentitur Savinius, Romanos, quum aerea pecunia tantum uterentur, libram sive trutinam adhibuisse, ut aliis num-

---

1) Tac. *Ann.* VI. 16.

2) Appianus *de bello civ.* I. 54. Eundem tamen temporis decursu in desuetudinem abiisse, idem testatur. *ἔθους δὲ χρονίου τοὺς τόκους βεβαιοῦντος.*

3) Festus v. *nuncupata.* Cic. *de Orat.* I. 39. Cf. Cl. Holtius, *over den zin van het uti legassit der twaalf tafelen,* in *Bijdr. tot Regtsgel.* III. p. 563 sq. Schilling in *Krit. Jahrb. f. deutsche Rechtswiss.* 1839. P. III. p. 216.

4) Cic. *de Off.* III. 16. Cf. Dirksen *Zwölftafelfragm.* p. 398.

nios appenderent, quia et varii ponderis erant et vicinarum civitatum moneta mixti. symbolice vero eosdem aes et libram adhibuisse, quum argentum signatum invaluisset, quod ante annum 485, (ergo multo post legem Poeteliam), factum esse negat Plinius. 1) Praeterea Savinii sententiae obstant nonnulla antiquorum loca, ubi de *nexis ob aes alienum* sermo habetur. Livius enim: » civitas secum ipsa discors intestino inter patres plebemque flagrabat odio, maxime propter *nexos ob aes alienum*;" 2) idem alio loco: » cui quum se C. Publilius *ob aes alienum paternum nexum* dedisset;" 3) et Valerius Maximus: » cum *propter grave*

---

1) Plin. *Hist. Nat.* XXXIII. 13. — Hanc per trutinam solutionem post Servium Tullium, qui ovium boumque effigie primus aes signavit, non amplius necessariam fuisse, existimat Sell, *de juris Romani nexo et mancipio*. Brunsv. 1840. p. 8. Attamen quum facile de nummo quid amputari posset, maximeque si non *totus* nummus signatus sit, (quod antiquissimis temporibus factum esse haud videtur), verosimile est plerosque etiamnunc adhibuisse trutinam, ut scirent, num juste sibi solveretur. Quod etiam indicare videtur Gajus I. § 122. *Ideo autem aes et libra adhibetur, quia olim aereis tantum nummis utebantur; et erant asses, dupondii, semisses et quadrantes, nec ullus aureus vel argenteus nummus in usu erat, sicut ex lege XII tabularum intelligere possumus; eorumque nummorum vis et potestas non in numero erat, sed in pondere.* Praeterea aeris vilitas copiaque libram reddidit necessariam, hinc Liv. IV. 60 *et quia nondum* (anno 347) *argentum signatum erat, aes grave plaustris quidam ad aerarium convehentes*, rel.

2) Liv. II. 23.

3) Liv. VIII. 28.

*aes alienum* C. Pletio *nexum* se dare coactus esset." 1) Si enim recte statuisse Savinium de nexo dicis, male illes iis locis locutes esse patet, quum ob aes alienum quis tantum *addici*, ob usuras vero aliosque contractus, si nexi forma interposita esset, *necti* potuisset. Denique cum eius sententia non recte conciliari possunt Livii verba: » non eadem demi, quae militiae, fortuna erat plebi Romanae: nam etsi, unciarie foenere facto, levata usura erat, *sorte ipsa obruebantur inopes nexumque inibant.* 2) Non igitur propter usuras nexum contrahebant, sed propter aes alienum, quum non foenere sed ipsa sorte obruerentur.

Quodsi ex hisce rationibus Savinianae de nexo theoriae calculum adjicere non possumus, neque eius sententia de lege Poetelia probanda est, qua illam contrahendi rationem per nexum istud sublatam esse dicit. Cui ipsa etiam Livii de lege nostra verba adversantur. Ne enim, quae superius in adumbranda Niebubrii et Zimmereni sententia de libertate plebi Romanae hac lege data, deque mutato jure dicto sunt, repetam; non video, qui Livius hac lege ingens vinculum fidei victum esse dixerit, si cum Savinio imaginarium illud nexum tantum per eam sublatum esse statuas. Si enim addici ineps debiter post illam legem etiamnunc

1) Val. Max. VI. 1. 9.
2) Liv. VII. 19.

poterat, vinculum fidei idem manebat, quod victum minime dici potest, ubi id abrogatur, quod creditorum calliditas ad deprimendos inopes, saepius ipsis reluctantibus legibus, excogitaverat. Denique Livii verba, quibus legis nostrae meutem expressit: » pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset," quominus eam sententiam amplectamur, totum quantum impediunt: quocirca Savinius ea ex mero historici mente exstitisse dicit, quum Cicero de hisce ne verbum quidem monuerit. Attamen nulla ratio est, quare Livio hac in re fidem deneges, quum Cicero, ut postea videbimus, idem innuere videatur.

## § 3.

### *Sententia Walteri et Scheurli.*

Aliam de nexo sententiam professus Walterus, alia item ratione legis Poeteliae propositum definivit. *) Nexum enim, ex eius mente, ad corroborandas obligationes valebat, eratque solennis promissio reddendi ea, quae per aes et libram essent appensa, eamque vim habens, ut creditor debitorem suum, si statuto tempore non solveret, in continenti (*unmittelbar*) ac sine judicis interventu duceret atque ipsius operis ad

*) Walter, *Gesch. d. Röm. Rechts.* Vol. I. p. 641 sqq.

perimendum debitum uteretur. 1) Hoc autem nexum, ait, sustulit lex Poetelia, quae vetuit, ne corpus debitoris, sed tantum eius bona pactionibus contrahentium obnoxia fierent pecuniae creditae · addictio autem ex iudicati caussa maneret.

Cui sententiae id in primis obstare animadvertit Scheurlius, quod privatorum pactis jus publicum mutari nequeat, eamque regulam, si universe in jure Romano valuerit, praesertim hic suam vim exercuisse, quum de libertate civium ageretur. 2) Lege XII tabularum enim constitutum est, ut, qui vel confiteretur se debere vel debiti judicatus esset, si post justos dies non solveret, a Praetore addiceretur creditori suo; si igitur de executione tam magnifice statuebant, ut ne judex quidem sententiam a se latam exsequi posset, sed omnis executio Praetori tribueretur, haud sane verosimile est, privatorum pactis ob eo juris praecepto recedi potuisse. Neque id etiam demonstrant loca, quibus suam theoriam niti contendit Walterus. Dionysii enim affert locum, 3) ubi Menenius Agrippa secessio-

1) Idem antea jam statuerat Dabelow, *Ausf. Entwick.* etc. p. 77.

2) v. Scheurl Op. laud. p. 44 — Cf. L. 6 § 2. D. de Re judic. *Qui judicati bona, auctoritate sua distraxit, furti actione, et vi bonorum raptorum, ei tenetur.* Si igitur de bonorum emtione ita statuerunt JCti Romani, eo magis id de addictione debitoris dicendum est, qua civis in servilem fere conditionem detrudebatur.

3) Dion. Hal. VI. 83

nis tempore plebi commendat, primum, ut eorum, qui pecuniam mutuam accepissent, neque solvendo essent, perimerentur debita, deinde *εἴ τινων ἤδη τὰ σώματα ὑπερημέρων ὄντων ταῖς νομίμοις προθεσμίαις κατέχεται, καὶ ταῦτα ἐλεύθερα εἶναι κρίνομεν· ὅσοι τε δίκαις ἁλόντες ἰδίαις, παρεδόθησαν τοῖς καταδικασαμένοις, καὶ τούτους ἐλευθέρους εἶναι βουλόμεθα, καὶ τὰς καταγνώσεις αὐτῶν ἀκύρους ποιοῦμεν.* Quem locum interpretans Walterus, ibi sermonem haberi de nexis, qui sine judicis interventu ex pactione a creditoribus ducti essent, hic vero de iis, qui quum solvendo non essent, a Praetore creditoribus essent adjudicati. Quam tamen interpretationem non recte procedere, docent verba *ταῖς νομίμοις προθεσμίαις*, quae evidentissime, eos non ex privata pactione sed ex legum praecepto ductos fuisse, demonstrant. Quocirca hic intelligendi sunt, qui, non exspectato judicio, sed se debere in jure confessi, a Praetore addicti fuerant, qua in re antiquum rursus jus deinceps confirmarunt XII tabulae. Neque magis Walteri theoria confirmatur alio Dionysii loco, ubi Senatum decrevisse narrat: *τέως δὲ μηδεμίαν εἴςπραξιν εἶναι, μήτε συμβολαίου μηδενὸς, μήτε καταδίκης μηδεμιᾶς.* 1) Etenim Dionysium hic unice de

---

1) Dion. Hal. V 69

justitio a Senatu indicto loqui, quo ex nullo contracto jus diceretur, neque judicata ad executionem peragerentur, sequentia aperte docent: *ἀφεῖσθαι δὲ καὶ τὰς ἄλλας ἀμφισβητήσεις πάσας, καὶ μήτε τὰ δικαστήρια καθίζειν, μήτε τὰς ἀρχὰς διαγινώσκειν περὶ μηδενὸς, ἔξω τῶν εἰς τὸν πόλεμον ἀνηκόντων.* Frustra quoque Walterus Appii verba apud eundem historicum invocat, dicentis: *μηδὲν ἐνδιδόναι τῷ δήμῳ μαλακὸν, ἀλλὰ καὶ τῶν συναλλαγμάτων τὰς ἀναπράξεις ἐπιτρέπειν τοῖς δεδανεικόσιν, ἐφ' οἷς ἔμελλον δικαίως ποιεῖσθαι, καὶ τὰ δικαστήρια καθίζειν τὸν ἐν τῇ πόλει μένοντα τῶν ὑπάτων κατὰ τοὺς πατρίους ἐθισμούς.* 1) Quum enim inopes, a creditoribus male habiti, nomen dare militiae recusarent, M' Valerius quidem Senatum ad lenitatem ducere ab eoque impetrare voluit, ut vel remitterentur vel diminuerentur debita; sed Appius nihil plebi gratificandum esse dixit, sed severe jus de pecunia dicendum, creditoribus vero relinquendum, utrum severis legibus uti, an aequis conditionibus transigere cum debitoribus mallent, judiciis autem alter praeesset Consul. Huc autem eorum verborum sententiam redire, neque iisdem quidquam confirmari Walteri theoriam, nemo profecto, qui accuratius illum locum legerit, infitias ibit.

---

1) Dion. Hal. VI, 24.

Improbata igitur eius de nexu et nexis sententia, eo minus explicationi, quam de legis Poeteliae proposito dedit, assentimur, quum Livii verbis adversatur. Etiamsi enim magnum beneficium fuisset, si vetaretur, ne quis alium sine judicis sententia sibi addiceret, non tanti tamen idem esset faciendum ab historico, ut ea mutatione aliud initium libertatis factum esse affirmaret. Neque ex vero dixeris, tum jus mutatum fuisse, multoque minus victum ea lege ingens vinculum fidei, quum jus creditorum, legibus iis concessum, idem maneret, fidesque in contractibus debitoris addictione a Praetore vindicaretur.

Tandem veniat sententia **Schenrlii**, ab omnibus, de quibus adhuc egimus, diversa. 1) Ad antiquam enim nexorum conditionem explicandam, Varronis nititur loco, ubi, quid sit *nexum* interpretatus, dicit: *liber, qui suas operas in servitutem, pro pecunia quam debebat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus.* 2) Debitor igitur, ait, ut ne creditori addiceretur, operas suas ipsi dicis gratia mancipabat, qua mancipatione se obligabat ad omnes suas operas praestandas, donec solvisset pecuniam: unde ipsius condi-

---

1) v. **Scheurl** l. l. p. 48 sqq. Eandem sententiam amplectitur **Sell**, *de juris Rom. nexo et mancipio.* p. 42 sqq.

2) **Varro**, *de L. L.* VI. 5. *Pro debebat* Scheurlius scribendum esse putat *debet dat*, quod antea jam conjecerat **Sigonius**, *de ant. jure pop. Rom.* I. p. 96.

tio facto servilis erat, licet jure civis et liber, imo sui juris maneret. Hoc autem quominus postea fieret, vetuit lex Poetelia, quo factum, ut postea addictorum quidem, non vero nexorum, apud veteres mentio fiat.

Attamen neque haec sententia admittenda esse videtur, ut satis edocuit Schillingius. 1) Nam ut omittam, operas ab Ulpiano non inter res mancipi esse relatas, ideoque nec mancipi videri, quae quidem quasi incorporales mancipari non poterant, et quasi res nec mancipi non solebant, 2) illud tantum moneamus, omnem mancipationem in totum vitiari per temporis vel conditionis adjectionem. 3) Non tantum enim Scheurlius de praesentibus, sed etiam de futuris operis loquitur, quas debitor creditori suo diebus gratia, donec solveret, manciparet; quo pacto in notissimas peccat mancipationis regulas. Quamobrem id non recte procedere intelligens, eleganter addit, non ipsi juri, sed operis modum imponi illa mancipatione: jus autem per eam constitui in singulis debitoris operis, quarum quantitas ut definiretur, adjectum fuisse diem, quo praestari desinerent. Praeterea id fieri potuisse, ex Hygino patere, ubi dicit: *qui superfuerant agri vecti-*

1) Schilling in *Krit. Jahrb. f. deutsche Rechtswiss.* 1839. P. III. p. 210 sqq.

2) Cf. Verloren, *de rebus mancipi et nec mancipi.* Traj. 1839 p. 70 sqq

3) Fragm. Vat. § 329. L. 77. D. de R. J.

*gulibus subjecti sunt, alii per annos quinos, alii vero* **mancipibus** *ementibus, id est conducentibus, in annos centenos.* 1) Quod quidem posterius nihil probat, quum non de mancipatione ibi sermo habeatur, sed de publicanis, quos apud veteres *mancipes* audire pervagatum est. 2) Ingeniosius vero quam verius auctor sententiam suam cum illis regulis conciliare studuit. Etenim ea vis mancipationis est, ut certae ac definitae rei dominium consequamur, non tempore vel conditione circumscriptum: cui contrarium est, a solutione debitoris pendere, num et quamdiu operas suas praestiturus sit. Neque iis, quae diximus, obstare videntur verba Pauli in fragmentis Vaticanis, ubi suam sententiam Pomponio opponit. 3) In qua re haec duo, quae diversitatem inducunt, consideranda sunt: alterum, de usufructu quaestionem esse, alterum, de usufructu deducendo. Cum ususfructus deducitur, non ususfructus mancipatur, sed praedium: mancipatur autem praedium pure, etiamsi id quod deducitur tem-

---

1) *Rei agrariae script.* ed. Goes. p. 205.

2) Festus v. *manceps.* L. 53. D. Locati Cf. Brissonius *de verb. signif.* in voce.

3) Fragm. Vat. § 50. *Pomponius putat non posse ad certum tempus deduci (usumfructum) nec per in jure cessionem, nec per mancipationem, sed tantum transferri ipsum posse. Ego didici et deduci ad tempus posse, quia et mancipationem et in jure cessionem lex XII tabularum confirmat.*

poris adjectione definiatur: itaque nihil fit contra juris angustiam, quae vetat diem vel conditionem adjicere. Vel sic tamen sua superstitio suspensum tenebat Pomponium. Quam Paulus discutit ad commune jus mancipationis provocans, ut lege XII tabularum erat confirmatum, quo sufficiebat mancipationem esse rite celebratam. Ceterum cum ususfructus natura sit, ut tempore finiatur, facile placuit, licet ex tempore vel ex conditione adve conditionem (sic Vaticano) in jure cedi non posset, ad tempus tamen recte in jure cederetur: hoc fieri posse Paulus docet, sed abscisse deneganss illud: » nulla legis actio, eit, prodita est de futuro." 1) Atqui operae illae a debitore creditori praestandae, de quibus Scheurlius cogitat, sine futuri temporis mentione promitti non possunt. Postremo illud etiam attendamus, quod Dirksenius monet, 2) ibi de posteriore tantum jure agi, quum legis actiones fere ex usu excessissent, neque idcirco ad antiquiora tempora illud esse trahendum. 3)

Sed etiamsi vera essent, quae de operarum mancipatione monuit auctor, nihilominus eius de lege nostra sententiae minime accederemus. Nam si huiusmodi nexum sustulisset lex Poetelia, potius servitutem de-

1) Fragm. Vat. § 49.
2) Dirksen, *Beytr zur Kunde d. Röm. Rechts.* p. 229.
3) Cf. tamen Fragm. Vat. § 318 et 329.

bitorum auxisse, quam eorum consuluisse libertati dicenda esset. Adimebatur enim tali legis constitutione misero homini flebile beneficium, ut auctor ipse fatetur, quo addictionem vel evitaret vel saltem differre poterat: 1) quo sublato, fieri non potuit, quin pejor obaeratorum redderetur conditio.

## § 4.

*Lege Poetelia addictio debitoris sublata est.*

Nulla igitur harum sententiarum quum constare videatur, id nobis nunc agendum restat, ut veterum de nostra lege effata indagemus, et ex antiqua debitorum conditione, historiae ope, explicare conemur: qua in re simul virorum doctorum Dabelovii, Schraderi et Schillingii sententias perpendemus.

Primas autem partes jure sibi vindicat Livius, locupletissimus antiquorum de lege Poetelia scriptor. Hic igitur, de ea acturus, ea *anno*, inquit, *plebi Romanae velut aliud initium libertatis factum est:* quibus verbis eum regifugium, tribunatum, legesque decemvirales respexisse, aut ex illis momentis unum, necesse est. Magni igitur quid jam augurari licet de lege, quae, quoad vim, quam in civitate habuit,

1) v. Schcurt l. l. p. 55.

comparari possit cum gravissimis reipublicae mutationibus, quibus plebis libertas constituta et confirmata est. Addit autem Livius libertatis illud aliud initium factum esse, *quod necti desierunt*, quae verba conjungenda sunt cum iis, quae postremo addit: *ita nexi soluti, cautumque in posterum ne necterentur.* Itaque ante omnia quaerendum est, quid voces *nectere* et *nexus* significent. *Nectere*, ait Festus, est *ligare*: ideoque hic de ligatis sive vinctis debitoribus cogitandum esse videtur. quam tamen verbi significationem hic a Livio designari, post Niebuhrium negarunt Savinius, Walterus alii. 1) Veruntamen apud eundem historicum nonnulla occurrunt loca, quae nisi de ligatis debitoribus intelligi nequeant. Sic v. c. Servilii Consulis edictum memorat: „ne quis civem Romanum *vinctum* aut *clausum* teneret, quominus ei nominis edendi apud Consules potestas fieret. .... Hoc proposito edicto et qui aderant *nexi*, profiteri extemplo nomina et undique ex tota urbe *proripientium se ex privato* .... concursus in forum, ut sa-

1) Niebuhr, *Röm. Gesch.* Vol. I. (Ed. 3.) p. 659. v. Savigny, *altröm. Schuldr.* p. 11. Walter, *Gesch. des Röm Rechts* p. 645. Hi enim, ut vidimus, istud *necti* a voce *nexum* derivarunt, provocantes ad Festum, ubi, quid sit *nexum*, explicat. Attamen hic non personas, sed res, quae per aes et libram geruntur, *necti* dici memorat. *Nexum est*, ait, *quodcumque per aes et libram geritur*, *idque necti dicitur.*

sacramento dicerent, fieri." 1) Memoratis autem victoriis, quas iidem illi a Volscis et Auruncis reportarunt, eorumque in urbem reditu, asperrime Appium jus de creditis pecuniis dixisse narrat, quibus subjungit: *deinceps, et qui ante n e x i fuerant, creditoribus t r a d e b a n t u r, et n e c t e b a n t u r alii.* 2) Quorum verborum sententia alia esse nequit, nisi haec: qui ante creditoribus vincti et clausi tenebantur, quique edicto Consulis vinculis erant liberati, rursus creditoribus suis tradebantur, aliique, quorum interea dies venerat, quum solvendo non essent, eandem experiebantur fortunam. Saepissime praeterea apud Livium et Dionysium vinculorum mentio fit, ubi de debitorum miseriis loquuntur. Sic Manlius apud illum: „acriores aeris alieni stimuli, qui *nervo* ac *vinculis* corpus liberum terrent." 3) — „Nequidquam Capitolium servaverim, si civem meum in *servitutem* ac *vincula* duci videam." 4) — „An placeret foenore circumventam plebem potius, quam sorte creditum solvat, corpus in *nervum* ac *supplicia* dare: et gregatim

1) Liv. II. 24. Ne tamen quis miretur, vinctos in forum se recipere potuisse, afferam locum Dion. Hal. VI. 26, ubi: ἔκ τε τῶν οἰκιῶν οἱ πρὸς τὰ χρέα δουλωθέντες, κομῶντες, ἁλύσεις ἔχοντες οἱ πλεῖστοι καὶ πέδας, οὐδενὸς ἀντιλαμβάνεσθαι τολμῶντος αὐτῶν.

2) Liv. II. 27.

3) Ibid. VI. 11.

4) Ibid. VI 14

quotidie de foro addictos duci, et repleri *vinctis* nobiles domos? et ubicumque patricius habitet, ibi *carcerem privatum* esse?" 1) Pariter apud Dionysium inducuntur debitores, monstrantes vincula sua, et querentes se veluti feras nervo et compedibus ligatos miserrimam agere vitam. *Τοῖς δεομένοις ἀμύνειν*, ait, *ἐπιδεικνυντες τὰς ἁλύσεις καὶ τὰς πέδας, ἐπικερτομοῦντες ἠρώτων εἰ τούτων φυλακῆς ἕνεκα τῶν ἀγαθῶν ἄξιον εἴη σφίσι πολεμεῖν;* 2) — *Ἠναγκαζόμεθα τοὺς ἑαυτῶν κλήρους γεωργεῖν, οἱ μὲν ἁλύσει δεθέντες, οἱ δὲ πέδαις, οἱ δὲ ὥσπερ τὰ χαλεπώτατα τῶν θηρίων κλοιοῖς καὶ μύδροις.* 3) Ne tamen plura hisce addam, facit locus Livii, unde evidentissime patet, voces *necti* et *nexus* de vinctis debitorum corporibus usurpari, ubi, de nostra lege agens, Consules ad populum tulisse dicit: *ne quis .... in compedibus aut in nervo teneretur*, quibus addit continuo explicantis modo: *ita nexi soluti, cautumque in posterum ne necterentur.*

Aliam vocis *nexus* significationem tradit Varro, cuius haec sunt verba: *liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam debebat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus.* 4) Scheur-

1) Liv. VI. 36. Cf. II. 23. VI. 15.
2) Dion. Hal. VI. 27.
3) Ibid. VI. 79. Cf. V. 53. VI. 59.
4) Varro *de L. L.* VI. 5. (VII. § 105. p. 162. ed. Müll.

lius, ut supra vidimus, mancipationem hic operarum a Varrone intelligi putat, quum ille hanc verbi interpretationem dederit, postquam, quid esset *nexum*, exposuerat. Veruntamen, quod superius docuimus, neque haec operarum mancipatio recte procedit, neque id significare voluit Varro. Antiquitus enim, quum Romani nondum signato argento utebantur, numerari pecunia non poterat, sed appendebatur aes per libram sive trutinam, ideoque contractus, in quibus pecunia vertebatur, in primis mutua, per aes et libram i. e. per nexum fiebant, et pecunia, quae ita per nexum obligabatur, *nexum aes* audiebat. t) Quod si reputaveris, id tantum Varro dicere videbitur: debitor, qui solvendo non est, ut ab *aere alieno* dicitur, ita

p. 582. ed. Spengel). Pro vulgata *quam debebat*, ex Mülleri editione dedimus *quandam debebat*, quae lectio Codicis Paris. auctoritate nititur. Scheurlius legit *quum debet, dat*, quocum non facit Schilling *Krit. Jahrb.* p. 215, quia praesens *dat* non recte cum praeterito *solveret* conjungi possit, idque eo minus, quia Varronis aetate non amplius haberentur nexi: quocirca ipse legendum conjicit: *quum dederat, debebat*. Attamen neque haec emendatio recte procedit, quum aequatur praesens *vocatur*, quod multo minus cum praeteritis *dederat, debebat* conciliari potest. Minus bene quoque idem nexos Varronis aetate non amplius affuisse dicit, quum etiam postea eorum mentio fiat apud Columellam *de re rust.* I. c. 3. § 12.

t) Festus v. *nexum*. Cff. Plin. *Hist. Nat.* XXXIII. 3. Varro *de L. L.* V. 169 sqq. Isidor. *Orig.* XVI. 17, 18, 19, 24. Cf. Sell, *de jure Rom. nexo et mancipio.* p. 4 sq.

quoqua *nexus* vocatur a *nexi* forma, qua contractum iniit. At vero, etiamsi haec sint simplicissima, non tamen apparet, quid de operis in servitutem debitis monuerit Varro: quod ut rite explicemus, res paullo altius videtur repetendum.

Gellius legis decemviralis de addictione debitorum verbis rolatis, haec addit: »erat autem jus interea paciscendi: ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta: inter eos dies trinis nundinis ad Praetorem in comitio producebantur, quantaeque pecuniae judicati essent, praedicabatur. Tertiis autem nundinis capite poenas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant." 1) Itaque exacte loquentibus, addictus quis nonnisi per sexaginta dies vocari poterat, quibus elapsis vel capite poenas dabat, vel trans Tiberim vendebatur. Attamen nullum apud antiquos legitur exemplum debitoris a creditore suo vel occisi, vel trans Tiberim venditi, ac si unquam huiusmodi quid usurpatum esset, mirum foret Manlium aliosque, ubi de misere debitorum conditione conquererentur, id non protulisse, ut plebis animos a patribus alienarent. Neque id etiam creditoribus conducebat, quum vindictae tantum, non patrimonio, consuleret: certe parva esse debuit ex pretio distracti hominis, si is exte-

1) Gell. XX. 1.

ris venderetur, crediti repensatio. Quocirca paciscı malebant, quam legis severitate uti, idque eos revera fecisse, plura demonstrant historicorum testimonia. Quae enim debitori etiamtum aderant bona, creditoribus pignori dabat, liberosque suos mancipabat, ut ipse legis severitatem aufugeret. 1) Si vero nihil haberet, quo creditoribus satisfaceret, operas suas iis tradere solebat, ut quidquid inde proveniret ad minuendum dobitum valeret, vel aliis modis interim debita solvere posset. 2) Spectant autem illud Appii apud Dionysium verba, ubi M' Valerio, qui cedendum plebi arbitrabatur, resistens, vindicandas esse leges de addicendis debitoribus statuit, sed relinquendum creditoribus, utrum severo jure uti, an transigere aequis conditionibus cum debitoribus suis vellent. 3) Hinc

---

1) Huc pertinet Servilii Consulis edictum: *ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret aut venderet, liberos nepotesve eius moraretur.* Liv. II. 24. Eadem fere tradit Dion. Hal. VI. 29.

2) Hinc apud Livium II. 23. queritur aliquis: *se aes alienum fecisse, id cumulatum usuris, primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis: postremo velut tabem pervenisse ad corpus. Ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse.* Cf. Liv. VI. 34. *Itaque quum jam ex re nihil dari posset, fama et corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant.* Ibid. VI. 27: *sciat unusquisque, sibine supersit liberum corpus, an id quoque nervo debeatur.*

3) Dion. Hal. VI, 24. μηδὲν ἐνδιδόναι τῷ δήμῳ μαλακὸν,

explicanda sunt illa Dionysii verba, ubi creditorum conventiones commemorat: uti v. c. quum Servilii edictum memorat: ὅσοι δ' ἂν ἀπολειφθῶσι τῆς στρατείας, τὰς κατὰ τούτων πράξεις ὑπάρχειν τοῖς δανεισταῖς, ἐφ' εἷς ἕκαστοι συνέβαλον· 1) et alio loco: τοὺς δ' ἄλλους ἀγωγίμους εἶναι τοῖς δεδανεικόσιν, ὡς ἕκαστοι συνέβαλον. 2) Quibus verbis id significare noluit, quasi creditores ex inita conventione ipsi sibi addicere possent debitores, quum addici quis nisi a Praetore nequiret, neque privatorum pactionibus jus publicum immutari posset; verum hoc voluit, eos ex potestate, lege iis concessa, ut graviores addictionis effectus effugerent, cum creditoribus suis transegisse de debito qualicumque modo solvendo: quod inopes alia ratione efficere nequibant, quam promittendis et praestandis operis.

Idem autem Varro loco supra laudato indigitavit, quum de libero loquatur, qui operas suas pro pecunia quadam debebat: praecedere igitur conventionem oportebat, ex qua illud debere oriretur, quum addictio per se vinciendi quidem et ligandi debitorem, non vero eiusdem operas sibi vindicandi potestatem tribue-

ἀλλὰ καὶ τῶν συναλλαγμάτων τὰς ἀναπράξεις ἐπιτρέπειν τοῖς δεδανεικόσιν, ἐφ' οἷς ἔμελλον δικαίοις ποιεῖσθαι.

1) Dion. Hal. VI. 29.
2) Ibid. VI. 37. Cf. VI. 81.

ret creditori. *In servitutem* vero hasce operas deberi dicit, ut serviles easdem esse significaret, sive tales, quae servilem ipsius conditionem efficerent. 1) Hi igitur a Verrone *κατ' ἐξοχὴν nexi* dicuntur, atque inde apud Livium et Valerium Maximum locutio *nexum se dare* de iis usurpatur, qui huiusmodi pactione legis severitatem effugere studuerunt. 2) Neque tantum *nexos* istiusmodi debitores, sed et *obaeratos* vocatos fuisse, ut Verro illo loco refert, idem in libris de Re Rustica prodidit, dicens: » Omnes agri coluntur hominibus servis aut liberis aut utrisque. Liberis, aut cum ipsi colunt ... aut mercenariis ... iisque quos *obaeratos* nostri vocitarunt." 3) Quem locum si conjungis cum verbis Columellae, ubi de praepotentibus dicit: » agros suos occupatos *nexu civium* et ergastulis tenent:" 4) egregie definitio vocis *nexus*, quam

---

1) Hinc apud Livium II. 28. exclamant: *libertatem unicuique prius reddendam esse, quam arma danda: ut pro patria civibusque, non pro dominis pugnent.* Ibid. VI. 14: *nequidquam Capitolium servaverim, si civem .... in servitutem ac vincula duci videam.* VIII. 28: *quum ingenuitatis magis, quam praesentis conditionis memorem videret.*

2) Liv. VIII. 28. *cui quum se C. Publilius ob aes alienum paternum nexum dedisset.* Val Max. VI. 1. 9. *propter domesticam ruinam et grave aes alienum, C. Plotius nexum se dare coactus.*

3) Verro *de R. R.* I. c. 17.

4) Columella *de R. R.* I. c. 3. § 12. — Hinc apud Dion. Hal. VI. 79. queritur L. Junius: ἠναγκαζόμεθα τοὺς

dedit Varro, illustratur. Commode tamen illi nexi etiam *judicati* et *addicti* appellari poterant, quum semper praecedere condemnatio sive judicatum et addictio deberent. At vero iis, quae hactenus diximus, obstare videtur Livii locus, ubi dicit: *nexu vincti solutique se undique in publicum proripiunt*, 1) unde revera nexum interpositum fuisse colligeres, quo alii tenebantur, alii vero soluti erant. Quae rite intelligi possent de nexo, cuius formâ debitores mutui contractum inierant, et quo alii adhuc tenebantur, alii vero, qui jam creditori satisfecerant, soluti erant, nisi praeferenda videretur lectio, *nexi vincti solutique*, quae Codicibus quibusdam confirmatur et commendatur Dionysii verbis, ubi idem enarrat: *ἔκ τε τῶν οἰκιῶν οἱ πρὸς τὰ χρέα δουλωθέντες, κομῶντες, ἁλύσεις ἔχοντες οἱ πλεῖστοι καὶ πέδας κ. τ. λ.* 2)

---

ἑαυτῶν κλήρους οἱ δείλαιοι γεωργεῖν, σκάπτοντες, φυτεύοντες, ἀροῦντες, ποίμνια νέμοντες, ὁμόδουλοι τοῖς ἑαυτῶν δεσπόταις ἀνδραπόδοις ὄντες.

1) Liv. II. 23.

2) Dion. Hal. VI. 26. Vocem *nexi* cum *nexu* facile a librariis commutari potuisse, qui nexos eosdem atque vinctos haberent, ideoque *nexi vincti* pleonasmum esse existimarent, sponte intelligitur. — Schilling, *Krit. Jahrb.* l. l. p. 215 sq. aliam iniit viam, ut nexorum conditionem explicaret. Qui enim mutuum per aes et libram contrahebat, ait, pollicebatur se operas suas creditori praestiturum ad debitum minuendum, quod veluti nexi lex ex verbis XII tab. *cum nexum*

Utramque autem hanc verborum *nectere* et *nexus* significationem attendentibus, perspicua continuo fit debitorum antiqua aetate conditio. Etenim pecuniae judicati ex lege XII tabularum creditoribus addicebantur, quibus jus competebat eosdem vel occidendi vel peregre vendendi: quod tamen ut evitarent obaerati, operas suas iis ad minuendum debitum praestabant, quocirca domum ducebantur a creditoribus ibique tenebantur vinculis, et servilem fere vitam agebant, licet jure liberi et sui juris manerent.

Quodsi igitur haec ad Livii verba supra laudata referimus, miseram hanc debitorum conditionem lege Poetelia cessasse patet, quum eos necti desiisse eo anno dicat. Attamen si istud *nectere sive ligare* tantum vetitum fuisset illa lege et mansisset addictio, non magni quid perpetrasse videretur, minimeque per eam aliud libertatis initium factum dicendum fuisset; quocirca non dubitamus, quin omnem personalem, ut aiunt, exsecutionem hac lege sublatam fuisse dicamus. Si vero quaeris, qui factum, ut Livius, quum de addictione cogitaret, de nexis tantum locutus sit, respon-

---

*faciat* etc. valebat. — Attamen ut antea haec promitterentur, non erat necesse, quum creditori addictum occidendi et peregre vendendi jus competeret, ideoque debitorem, minitando mortem vel servitutem, ad operas praestandas cogere posset. Quod vero addit, hoc tantum, ne postea fieret, lege Poetelia fuisse vetitum, minime admittendum videtur, quum prorsus Livii verbis adversetur.

demus, eum hoc loco non ipsa legis verba referre, sed unice ipsius vim verbo adumbrare voluisse, ideoque dixisse, ea lege id fieri desiisse, quod antiquitus in primis in usu fuisse, maximasque in civitate turbas concitasse, superius monuisset.

Deinde Livius ob eius foeneratoris libidinem et crudelitatem *jus mutatum fuisse* dicit, quae, nisi de addictione sublata occipias, intelligi nequeunt. Etenim si ea lege tantum, ne ligarentur debitores, vetitum fuisse dicis, ut existimat Schraderus, 1) gravissimum sane addictionis jus, quod in vinciendis debitoribus constabat, sublatum fuit: neque idcirco credibile est, legem, quae ne vincirentur debitores prohibuit, intactum reliquisse jus eosdem necidendi vel peregre vendendi, eoque minus, quum illa libertati civium consuluisse dicatur. Si vero Varronianam interpretationem vocis *nexus* secutus, nostra lege prohibitum esse contendis, ne debitores deinceps operas suas in servitutem praestarent, minime jus mutatum fuisse, sed tantum inhibitae et coarctatae privatorum pactiones dicendae essent. Eaedem porro pactiones originem suam et vim ipsi addicendi juri debebant, quo sublato, non habebant creditores, quo obaeratos ad praestandas operas cogerent, ideoque et illas cum ef-

1) Schrader, *Civil. Mag.* V. 2. p. 185.

fectu prohiberent, primum addictio tolleretur prorsus erat necesse.

Magis autem id sequentibus Livii verbis demonstratur, ubi *rectum eo die, ob impotentem injuriam unius, ingens vinculum fidei* dicit. Fidem enim, dictorum conventorumque constantiam et veritatem, 1) in contractibus maximeque in mutui caussa sanxerunt Romani, quam nullam esse dixerunt, nisi esset necessaria solutio rerum creditarum. 2) Hinc Appius Claudius, quum tempore secessionis quibusdam placere videret, ut mitterentur legati ad plebem, qui aequis conditionibus eam in urbem reducerent, *δοκεῖ μοι*, ait, *μὴ κινεῖν ἔθη πατέρων ἀκίνητα, μηδ' ἀναιρεῖν ἐξ ἀνθρώπων πίστιν, ἱερὸν χρῆμα, μεθ' ἧς πᾶσα πόλις οἰκεῖται ἀσφαλῶς, δήμῳ τε μὴ εἴκειν ἀγνώμονι, ἀδίκων ἔργων καὶ ἀθεμίτων χρῄζοντι.* 3) Vinculum autem, quo cohibebatur fides, erat addictio, qua coërcebatur perfidia debitoris, ipseque stare promissis jubebatur, ut ne pravitatis suae dignas lueret poenas.

---

1) Cic. *de Off.* I. 7.
2) Ibid. II. 24.
3) Dion. Hal. VI. 61. Cf VI. 84 fin. Livius VI. 15. 41: *Tanta dulcedo est ex alienis fortunis praedandi. nec in mentem venit lege fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur.* Cic. *pro L. Man.* c. 7: *scimus Romae, solutione impedita, fidem concidisse.* Caes. *de bello civ.* III. 1: *cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur.*

Hinc Gellius, verba XII tabularum allaturus, quibus addictionem sauxerant decemviri, fidem in omnibus contractibus maxime a majoribus suis spectatam fuisse contendit. Vinci igitur hoc vinculum fidei recte dici poterat lege, quae ne addicerentur debitores vetabat: contra vero, si legis Poeteliae aliud fuisse propositum, neque addictionem per eam sublatam contendas, ineptias egisse dicendus esset Livius, vinculum fidei victum affirmans, quod revera intactum maneret.

Quodsi ex hisce omnibus revera sublatam esse addictionem nostra lege efficias, eo evidentius id patebit, ubi ad legis verba attenderis, quae apud Livium referuntur. Dicit enim Consules jussos fuisse ferre ad populum: *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* 1) Duplex igitur legis Poeteliae argu-

---

1) Idem aliae quoque leges sauxerunt, quarum verba, cum Livii de lege Poetelia narratione perquam convenientia, adscribere juvat, quo melius cognoscatur legis nostrae consilium. Diod. Sicul. I. 79. legem Aegyptiorum memorat, a Bocchoride latam: *τῶν δὲ ὀφειλόντων τὴν ἔκπραξιν τῶν δανείων ἐκ τῆς οὐσίας μόνον ἐποιήσατο, τὸ δὲ σῶμα κατ' οὐδένα τρόπον εἴασεν ὑπάρχειν ἀγώγιμον.* — Solonis nota est lex, qua vetitum *πρὸς τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι δανείζειν.* Plut. *vit. Solon.* c. 15. — Teste Dion. Hal. IV. 9. Servius Tullius legem tulit, *μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις, ἱκανὸν ἡγούμενος τοῖς δανεισταῖς τὰς οὐσίας τῶν συμβαλλόντων κρατεῖν·* idemque V. 69. senatoribus

mentum proponitur; alterum, ut nemini liceret civem Romanum in vinculis habere, quod jus creditoribus lege XII tabularum concessum erat (hinc Livius vocabulis *compedes* et *nervum* utitur, quae legitima esse duodecim tabularum verba constat 1)), exciperentur tamen, qui noxam i. e. poenam meruissent, quique, donec poenam luissent, postea etiamnunc vinciri poterant; alterum vero, ut ne ob pecuniam creditam in posterum corpus debitoris, sed eius bona tantum creditori addicerentur: sive, ut aliis verbis utar, ne *personalis* deinceps, sed tantum *realis*, ut ajunt, persecutio locum haberet. Hanc autem eorum verborum esse sententiam, cuilibet perspicuum esse dixerim; nisi exsisteret Bebelovius, alio quodam hac de re monens. Quum enim Livius narret, Senatum jussisse Con-

quibusdam placuisse dicit: *τὰ χρήματα ποιῶ ἀγώγιμα τοῖς δανισταῖς, οὐ τὰ σώματα.* — Denique in edicto Tiberii Julii Alexandri, quod edidit Rudorff in *Rhein. Mus. f. Phil.* II. p. 147, haec leguntur: *ἵνα αἱ πράξεις τῶν δανείων ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὦσι καὶ μὴ ἐκ τῶν σωμάτων, ἑπόμενος τῇ τοῦ θεοῦ Σεβάστου βουλήσει, κελεύω ..... μηδ᾽ ὅλως κατακλείεσθαι τινας ἐλευθέρους εἰς φυλακὴν ἡντινοῦν, εἰ μὴ κακοῦργον.*

1) Gell. XX. 1. Dirksen, *Zwölftafelfragm.* p. 243. Verba XII tab. sunt: NI JUDICATUM FACIT, AUT QUIPS ENDO EM JURE VINDICIT, SECUM DUCITO; VINCITO, AUT NERVO AUT COMPEDIBUS, QUINDECIM PONDO NE MAJORE, AUT SI VOLET MINORE VINCITO. Ita enim legendum esse pro vulgato: *pondo ne minore, aut si volet majore vincito*, quum respondeat sequens. LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO: SI VOLET, PLUS DATO, docuit summus Cujacius, *Observ.* III. 39, qui illam lectionem etiam in Codice quodam se invenisse testatur.

sules ferre ad populum: ne quis rel., hanc rogationem revera a Consulibus factam esse statuit, eamdem tamen a populo non ita perlatam, sed nonnulla in ea mutata esse existimat. Quocirca lege Poetelia id effectum esse docet, ut jus in corpore debitoris, quod creditori concesserant decemviri, commutaretur in jus mediatum in eiusdem bonis: id est, ut auferretur creditori jus vinciendi et vendendi debitorem suum, eique concederetur potestas proscribendi eiusdem bona: interim tamen eum carcere privato retinere posset, ut ne absconderet sua bona, et si haec non sufficerent ad debita solvenda, ipse frueretur eius operis pro pecunia nondum soluta. 1) Quae licet ingeniose sint excogitata ad legem nostram cum posteriore jure conciliandam, vereor tamen ut rite admitti possint. Etenim Livium legis rogationem retulisse, quae non esset perlata, non est probabile, quum mox addat: *ita nexi soluti, cautumque in posterum ne necterentur*; quibus rogationem legis perlatam a populo procul dubio significavit. Praeterea nullum afferri testimonium potest, quo demonstretur, in proscriptione bonorum debitorem etiamnunc carcere privato retineri potuisse: imo contrarium probari potest ex Cicerone, ubi Quinctium defendens, graves proscriptionis in de-

1) Dabelow, *Ausf. Entwick.* etc. p. 83 sqq.

bitore effectus describit, 1) de debitore vero carcere incluse ne verbum quidem menet. Denique Livii verba, ubi necti desiise debitores, et fidei vinculum ea lege victum esse dicit, sententiae illi totum quantum adversantur.

Fuerunt tamen, qui Livio in adumbrande legis Poeteliae proposite fidem denegarent, eumque legem Juliam, qua cessie bonorum fuit introducta, cum illa confudisse opinarentur. In quibus numerandi **Schraderus** et **Savinius**, qui cetera eum recta enarrasse statuunt, verba tamen: *pecunias creditas bona debitoris, non corpus obnoxium esset*, non legi, sed historico, memoria lapso, tribuunt. 2) Veruntamen nulla ratio est, quare in hisce fidem ipsi deneges, in ceteris vero ei assentiaris, quum ex omnibus, quae de hac lege memeravit, addictionem per eam fuisse sublatam pateat, ac mirum foret, cum postea erroris commissi sibi non fuisse conscium, quum bellis Punicis idem rursus evenisse narraret, quod antea perperam hac lege sublatum affirmasset. 5) Cum vero difficile sit scripteris cuiusdam vindicare fidem, nisi ea, quae tradat, cum aliorum testimeniis convenire demonstres, gratissimum sane nebis fecit Cicero, quod in libris de

1) **Cic.** *pro Quinct.* c. 15.
2) **Schrader**, *Civil. Mag.* V. 2. p. 187. v. **Savigny**, *altröm. Schuldr.* p. 17.
5) **Liv.** XXIII. 14.

Republica ita de lege nostra locutus sit, ut Livii verbis fides denegari amplius nequeat. 1) Quod, age, uberius exponamus.

Licet Cicero illo loco legis nostrae nomen non memoret, eandem tamen ab eo significari, convenientia verborum, quibus et ipse et Livius utuntur, demonstrat plane. 2) Versatur autem ibi philosophus in describenda institutione Tribunorum plebis, quos cum Ephoris Spartanorum et Cretensium Cosmis comparat: quibus dictis, haec subjungit: „Fuerat fortasse aliqua ratio majoribus nostris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat, neque post aliquanto nostrum Senatum, *cum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea destitum.*" Comparat igitur philosophus legem Poteliam cum Solonis lege, et rationem, qua et Senatus Romanus et Solon aeri alieno obviam ire conati erant, similem fuisse pronunciat. Proxima igitur disquisitio erit, quid hac

1) Cic. *de Rep.* II. 34.

2) Cicero enim: *cum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea destitum.* Livius autem: *quod necti desierunt: — mutatum jus ob unius foeneratoris libidinem: — ita nexi soluti, cautumque in posterum ne necterentur.* Praeterea Cicero *Senatui* hanc mutationem tribuit, Livius autem Consules e *Senatu* jussos fuisse dicit ferre ad populum.

in re praestiterit Solon: quod paucis tradidit Plutarchus: *τοῦτο ἐποιήσατο πρῶτον πολίτευμα, γράψας τὰ μὲν ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν ἀνεῖσθαι, πρὸς δὲ τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν.* 1) Posteriora haec mire conveniunt cum Livii verbis, ubi lege Poetelia cautum fuisse narrat, ut pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Quae enim antiquitus apud Romanos misera obaeratorum erat conditio, eandem ante Solonem apud Athenienses obtinuisse testatur Plutarchus: *χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύσοντες, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι,* 2) nisi apud hos ipso contractu oppignerata fuisse debitorum corpora statuas, (quod propositio *ἐπὶ* demonstrare videtur, quae si cum dativo casu construitur, conditionem significat), quum apud Romanos addictio ex ipsa lege XII tabularum descenderit. Quidquid est, id constat, Ciceronem nostram legem cum Solonis in-

---

1) Plut. *vit. Solon.* c. 15. Idem *de vitando aere alieno*, p. 828 E. Cff. Petitus, *Comm. in legg. Att.* p. 412. Andreae, *de Solonis legum erga debit. lenitate.* Viteub. 1812. p. 17 sqq. Boeckh, *Staatshaushalt. der Athen.* Vol. I. p. 139, 142. — Similiter cum Solonis instituto legem Bocchoridis, quam supra adscripsimus, comperat Diod. Sic. I. 79. et provocat ad Solonis legem M' Valerius Consul apud Dion. Hal. V. 63.

2) Plut. *vit. Solon.* c. 13. Diog. Laërt. *Solon.* I. 45: *καὶ γὰρ ἐπὶ σώματι ἐδανείζοντο, καὶ πολλοὶ δι' ἀπορίαν ἐθήτευον.*

stituto comparantem, id significare voluisse, pariter apud majores suos atque apud Athenienses vetitum fuisse, ne corpus debitoris obnoxium foret creditae pecuniae.

Jam vero ipsa verba videamus, quibus Cicero legis nostrae finem ac consilium definivit. Primum enim *omnia nexa civium liberata fuisse* dicit. Nexum autem universe omne dicebatur, quod per aes et libram gerebatur: sed judice Mucio Scaevola illo nomine tantum ea comprehendebantur, quae per aes et libram fierent, *ut obligarentur*: 1) cuius sententiam Ciceronem, eiusdem discipulum, secutum esse, ex variis locis comprobari potest. 2) Hoc tamen loco quum *liberandi* verbo utatur, abstractum pro concreto posuisse et *nexa liberata* pro *nexi liberati* dixisse videtur, eodem fere modo, quo Columella *agros divitum occu-*

1) Varro *de L. L.* VI. 5. Festus v. *nexum.* Cf. Müller in *Rhein. Mus. f. Jurispr.* V. p. 198. et Heimbach, *C. Aelii Galli fragm. de verb. signif.* Lips. 1823. Excursus I. p. 49 sqq; qui inter *nexum* (i) et *nexus* (us) hoc discrimen obtinuisse existimat, quod illud ipsum contractum, hoc vero solennitatem, quae per aes et libram fiebat, significaret. — De nexi autem mancipiique inter se ratione haud consentiunt viri docti. Cf. v. Scheurl l. l. p. 9. qui *nexum* genus fuisse, *mancipium* vero speciem, contendit: a quo discedit Sell, *de juris Rom. nexo et manc.* p. 18 sqq. neque nexum sine mancipio, neque mancipium sine nexo cogitari posse docens.

2) Cic. *Har. Resp.* c. 7. *de Orat.* I. 38. *Ep. ad Fam.* VII. Ep. 30.

*potes nexu civium et ergastulis* pro *nexis civibus et servis* dixit. 1) Idem igitur Cicero hisce verbis expressit, quod Livius, quum nostra lege *nexos solutos esse* dicat. Difficultas tamen hic oritur, quod hanc agendi rationem cum Solonis instituto comparat philosophus, ideoque de *σεισαχθεία*, sive novis tabulis, hic cogitandum videtur, quas Atheniensis legislator civibus suis largitus est. 2) Quod tamen quominus admittamus, obstat primum Livii ceterorumque hac de re silentium, tum etiam quod parum verosimile est, legem, quae tollenda addictione tantum plebi beneficium concesserit, insuper etiam omnia civium debita remisisse, eoque minus, quum seditionis, quae legi ansam praebuit, opportunitas non grave aes alienum fuerit, sed injuria nexo a foeneratore illata. Neque id etiam significare voluisse Cicero videtur, quum dicat: *fuerat fortasse aliqua ratio majoribus nostris in illo aere alieno medendi:* dubitat igitur an rite haec lex diei possit succurrisse aeri alieno, quum potius *debitoribus* opem ferret: quod sane affirmasset, si eodem opportunitate omnia civium debita fuissent

1) Colum. *de Re Rust.* I. c. 3. § 12.

2) Cff. hac de re H. J. Leupold, *de σεισαχθείᾳ sive novis tabulis*, cap. 7. Boeckh l. l. et Meier, *hist. juris Attici de bonis damnatorum et fiscalium debit.* Berol. 1819. p. 27 sqq.

remissa. 1) — Hisce autem alterum legis caput subjungit Cicero, quo scilicet *nectier postea desitum esse* monet. Quid Romani sub voce *nectere* et *nexus* intellexerint, supra me dicere memini: id tantum hic monuisse sufficiat, explicationem, quam ibi dedimus, plene confirmari a Cicerone, quum mutationem hancce comparet Solonis legi, qua vetitum erat *πρὸς τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι δανείζειν.*

Neque sententiae huic obstat Dionysii locus: *καὶ δι' ἐκεῖνο τὸ πάθος οἱ δουλωθέντες πρὸς τὰ χρέα Ῥωμαῖοι, νόμῳ κυρωθέντι τὴν ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἐκομίσαντο.* 2) Quae legentibus, id unice legis nostrae propositum fuisse videri possit, ut qui eo tempore, quo ferretur lex, creditoribus suis addicti essent debitores, a vinculis liberarentur, integra tamen maneret in posterum addictio. Sed animadvertendum est, haec verba non in ipsa Dionysii historia, sed in iis legi, quae Constantinus Porphyrogenitus, ut videtur, ex illius opere descripsit. 3) Non igitur inde argumentum recta deduci potest, de praesenti tantum tempore egisse legem Poetaliam, quum ignoremus, an non plura hisce

1) Fortasse Cicero, quo magis nostrae legis cum Solonis instituto pateret similitudo, *nexa liberata* pro *nexi liberati* dixit.

2) Dion. Hal. *Exc. Val.* p. 2338. Ed. Reiske. Cf. Suidas v. Γάϊος Λαιτώριος.

3) Cf. Aug. Maji *Praefatio ad Nov. Collect. script. vet.* Vol. II. p. X.

addiderit historicus; id tamen ex hoc loco efficere licet, verba Livii, ubi *nexos solutos*, et Ciceronis, ubi *nexa civium liberata esse* dicit, de debitoribus in libertatem restitutis intelligenda esse, quum obaeratos hac lege τὴν ἀρχαίαν ἐλευθερίαν κομίσασθαι dixerit Dionysius: ideoque, quum illi simul eadem cautum fuisse moneant, ut ne deinde necterentur, id pariter de debitoribus in posterum libertate non privandis, id est de addictione sublata, esse explicandum.

Quae autem hactenus disputavimus, egregie confirmantur verbis Quinctiliani in Declamationibus, quae ab interpretibus non adhibita esse ad definiendum legis nostrae consilium, valde miror. Nam etiamsi ipsi in hoc opere haud magna sit tribuenda fides, quum declamandi exempla tradens, non magnopere fere de veritate sollicitus sit, eiusdem tamen auctoritas, ubi cum aliis fide dignis scriptoribus conveniat, haud parvi certe momenti est habenda. Memorata autem illo loco eadem fere de feneratoris libidine et crudelitate narratione, quam Livius aliique memoriae prodiderunt, haec addit: » eo tamen usque populi Romani vindicta processit, ut ardentibus bello finibus, ad delectum nemo responderet, nisi et poena corruptoris et *abrogatione legis satisfactum esset.*" 1) Lex autem, quam

1) Quinctil. *Declam.* III. p. 73. Ed. Burm. Quo magis pateat eandem hic rem memorari, adscribere juvat totum la-

ea opportunitate abrogatam esse dicit, alia esse nequit, nisi lex XII tabularum, quae creditori tantam in debitore suo concedebat potestatem, ut ab ejusdem injuriis vix tutus esse posset. Quum igitur eadem occasione legem Poeteliam latam fuisse Livius, Quinctilianus autem legem XII tabularum abrogatam esse dicant, dubitari amplius nequit, quin nostrae legis non aliud, quam tollendi addictionem, propositum fuerit.

Atque sic quidem ex omnibus, quae de lege Poetelia manuerunt antiqui, evidenter patere nobis videtur, severum XII tabularum de addicendis debitoribus jus per eam fuisse abrogatum, inque eius locum mitius quoddam successisse. Difficultates vero nonnullae sponte hic orinntur, quas, antequam progredimur, solvere conabimur. Livius enim, ubi lege nostra, ne quis in vinculis teneretur, interdictum fuisse narrat, ab ea regula exceptos fuisse tradit, qui noxam meruissent, ita ut illi, donec poenam luissent, etiamnunc vinciri possent. Quaeri igitur potest, idne ad omnes omnino maleficos,

---

cum: *An ignoramus, imperator, quanta quondam populi Romani exarserit seditio, cum e domo foeneratoris addictus lacero verberibus tergo prorupisset in publicum, et illos suppliciorum notas tulisse se quereretur, quod vim corruptoris pati noluisset? Et ille tamen, quamquam hoc flagitium conatus in addicto ac pene servo et vix libero, videbatur aliquatenus memor fuisse Romanae sanctitatis, qui vim obscaenissimam non tentaverat, nisi adversus alligatae manus: eo tamen usque populi Romani* rel.

qui aliquam poenam, sive graviorem, sive leviorem ideoque mulctam, meruissent, pertineat, an tantum ad eos sit restringendum, qui capitali poena essent afficiendi. 1) Noxa enim saepe pro gravioribus delictis accipitur, idemque significat, quod poena capitalis; 2) attamen non adeo solennis haec est eius vocabuli significatio, quum saepe levius peccatum et damnum denotat et opponatur publicis criminibus. 3) Quod si reputas, noxa, ubi de poena dicitur, et mulctam et graviorem poenam significare potest, qua significatione et hic accipienda esse videtur, quum lex Poetelia unice in obaeratorum non in maleficorum commodum lata sit, et privati tantum carceris, non vero publici, rationem habuerit. Antea enim in more fuisse, ut qui mulctam solvere non possent, in carcerem ducerentur, Dionysius testator: *οἱ δήμαρχοι τὸν Κάμιλλον ἐζημίωσαν δέκα μυριάσιν· οὐκ ἀγνοοῦντες ὅτι πολλοστόν τι μέρος ὁ βίος ἦν αὐτῷ τοῦ κατακρίματος, ἀλλ' ἵν' ἀπαχθεὶς εἰς τὸ δεσμωτήριον ὑπὸ τῶν δημάρ-*

---

1) Hoc statuit Sevinius l. l. p. 16.

2) Liv. XXIII, 14: *qui capitalem fraudem ausi quique pecuniae judicati in vinculis essent ..... eos noxa pecuniaque sese exsolvi jussurum.*

3) L. 17. § 17. D. de Aedil. edicto: *Noxas accipere debemus privatas, id est, eas, quaecumque committuntur ex delictis, ex quibus agitur judiciis noxalibus, non publicis criminibus.* (Fragmentum adscripsimus ex emendatione Cl. Birnbaum in *Neues Archiv des Criminalr.* VIII. p. 653.) Cff. L. 200. D. de V. S. L. 11. § ult. D. de Evict.

*χων ἀσχημονήσῃ.* — *Τὸ μὲν οὖν ἀργύριον οἱ πελάται τε καὶ συγγενεῖς αὐτοῦ συνειςενέγκαντες, ἐκ τῶν ἰδίων χρημάτων ἀπέδοσαν, ὥστε μηδεμιᾶς πειραθῆναι ὕβρεως.* 1) Neque id etiam post eam legem in desuetudinem abiisse, nonnulla probant veterum testimonia, quae pecunia mulctatos in vincula fuisse ductos, nisi vel solverent vel praedes darent, diserte significant. 2)

Alia superest quaestio, utrum lex nostra tantum ad creditam pecuniam, an vero ad quodlibet debitum, pertinuerit. Ex Livii enim verbis addictionem in mutui tantum caussa sublatam fuisse, mansisse vero in ceteris debitis efficeres; quod vix credibile est, quum addictio, uti vidimus, maxime propter fidem instituta sit, fides autem in omnibus contractibus perinde spectaretur. Quam difficultatem ut solvamus, non cum Sa-

---

1) Dion. Hal. *Excerpta* in *Script. veterum nova collect. ed. Majo.* Vol. II. p. 480.

2) Liv. XXXVIII. 60. Gell. VII. 19. Val. Max. IV. 1. 8. — Dirksen (*Observ. ad tab. Heracl.* Berol. 1817. p. 108) hac lege etiam exceptos fuisse prodigos contendit, qui bona insano modo dilapidassent, propter verba Senecae *de Benef.* VII. 16: *Quid? tu tam imprudentes judicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumsit, et eum, qui incendio aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit?* At vero hunc locum plane contrarium probare, sequentia docent; addit enim philosophus *nullam excusationem receperunt, ut homines scirent fidem utique praestandam.* Eundem errorem commisit Zimmern, *Gesch. des Röm. Rechts.* Vol. III. p. 248. not. 21.

vimo contendimus, unice in mutuo addictioni locum fuisse, quum idoneis argumentis id probari nequeat: sed alias tentabimus rationes. Primum enim fieri potuit, ut addictio lege XII tabularum cuilibet creditori concessa, sensim paullatimque ad mutui contractum maxime coërceretur, quum apud Livium et Dionysium in primis de addictis et nexis ob aes alienum sermo habeatur; cuius haec caussa esse potuit, quod in ceteris contractibus facilius creditori satisfieri posset, difficilius vero in mutuo, sortem immense augentibus usuris. Praeterea pecunia credita non semper ea intelligitur, quam numeramus, sed etiam stipulata, et expensi lata, et vero quodlibet creditum, ut supra exemplis confirmavimus. 1) Denique observandum est, Livium non historiam juris, sed res gestas populi Romani enarrare voluisse, ideoque, quum contentiones de aere alieno tantam in republica vim habuisse intelligeret, quumque eodem illo loco foeneratoris crudelitatem commemoraret, quae ferendae legi Poeteliae ansam dederat, satis habuisse, ut huius legis efficaciam

---

1) Vide supra p. 40. Locis ibi allatis addi possunt haec fragmenta, unde similiter, generalem verbi *credere* significationem esse, patet. L. 2. § 5. de Reb. cred. *Verbis quoque credimus, quodam actu ad obligationem comparandam interposito, veluti stipulatione.* L. 4. de SCto Maced. *Quod vulgo dicitur, filiofamilias credi non licere, non ad verba referendum est, sed ad numerationem.*

non in privatorum negotia et universe in jus Romanum, sed unice in historiam reipublicae Romanae adumbraret. Quamobrem legem Poeteliam non unice ad mutuum sed ad omnia debita pertinuisse statuimus, eoque magis, quum neminem, exceptis maleficis, post eam vinciri potuisse, ex Livio constet.

## § 5.

*Loco addictionis successit proscriptio bonorum.*

Cognito legis Poteliae proposito, paucis jam videamus, qua ratione postea debitoris bona creditoribus addicerentur. Qua in re adjuvamur Tertulliani, τοῦ τοὺς 'Ρωμαίων νόμους ἠκριβωκότος ἄνδρος, 1) loco, ubi dicit: » Sed et judicatos in partes secari a creditoribus leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, et in pudoris notam capitis poena conversa est, bonorum adhibita proscriptione. Suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere." 2) Etiamsi enim legis nostrae nomen non commemoret, eandem tamen hic significare videtur, quum de commutatione legum XII tabularum, quoad creditorum in corpore debitoris jura, agat, quam lege Poetelia effectam esse supra docuimus. Confirmat hoc, quod

1) Eusebius, *Hist. Eccles.* II. 2.
2) Tertullianus, *Apolog.* c. 4.

Tertullianus id factum esse dicit *publico consensu*, id est consensu populi, quae forma loquendi *legitimae* multo magis, quam *usitatae* sive per desuetudinem abrogationi, convenit. Neque adversantur Quinctiliani verba, ubi sectionem debitorum publico more repudiatam statuit, 1) quibus idem procul dubio significare voluit, quod memorarunt Gellius et Dio Cassius, eam sectionem nunquam in usu fuisse, neminemque antiquitus fuisse dissectum. 2) Verbum praeterea *eradere*, quo utitur Tertullianus, abrogatam magis quam antiquatam legem significat, quum lex, quae in desuetudinem abiisset, non eraderetur, sed maneret, licet vi destituta.

Gravior vero difficultas est, quod et Cicero 3) et Ulpianus 4) proscriptionem bonorum ex edicto Praetoris creditoribus dari contendunt, ideoque eandem per legem introductam fuisse negare videntur. Attamen hoc magis ad *procedendi* formam, quam ad rei originem pertinere videtur, quum apud Gajum legamus, Praetorem Publium Rutilium (qui ducentis fere annis post legem Poeteliam vixit) dici bonorum venditionem introduxisse, eundemque auctorem fuisse

1) Quinctil. *Inst. Orat.* III. 6. p. 261. Ed. Burm.

2) Gell. XX. 1. Dionis Cassii *Excerpta in Script. vet. nova collect.* Vol. II. p. 144.

3) Cic. *Orat. pro Quinct.* c. 6 sqq.

4) Ulp. L. 2, L. 5, L. 7. D. Quibus ex caus. in poss. eatur.

actionis, Rutilianae dictae, qua ex persona eius, cuius bona quis emisset, sumta intentione, converteretur condemnatio in ipsius personam. 1) Neque etiam credibile est, quum ex XII tabulis judicati corpus debitis obnoxium esset, proscriptionem illam a Praetore fuisse introductam, cui adjuvandi, supplendi et corrigendi, 2) non vero condendi et mutandi juris potestas erat. Itaque praecedere lex debuit, quae juri XII tabularum derogans, bona debitoris, non corpus, creditoribus concederet. Quae alia esse non potuit, atque lex nostra, qua gravissimam illam commutationem factam esse vidimus. Recte igitur illa difficultas hoc modo expediri potest. Lex Poetelia jus quidem mutavit, sed formam, quae in novo jure observaretur, non definivit. Plerumque enim, certe in caussis privati judicii, non solebant, Romanorum more, talia legibus definiri, ut maxime exemplum legis Cinciae ostendit: qua non legitima donatio non rescindabatur, ex qua tamen Praetor non tantum perpetuo exceptionem, a lege nominatam, sed etiam, quum id usui esset, rescissoriam actionem dare solebat. 3) Quod idem confirmat Gajus, 4) exceptiones dicens, etsi prae-

1) Gaj. IV. § 35.

2) L. 7. D. de Just. et jure. Cf. Reddie, *de edictis praet.* Spec. I. Gott. 1825. p. 32 sq.

3) L. 21. § 1. D. de Donat.

4) Gaj. IV. § 128.

Digitized by Google

torium esset institutum, » ex legibus substantiam capere;" eodemque pertinet Ciceronis elegans dictum: 1) » ut lex est mutus magistratus, ita magistratum esse legem loquentem," quae ceterum esset muta inersque jaceret, si ei Praetor vocem non adderet. Nimirum Praetor hic actionem exceptionemque dabat, vi jurisdictionis suae, de quibus in lege nihil scriptum legebatur, easque Jureconsulti deinde elaborabant; uti ex diverso cum hi tum ille exceptionem accommodare solebant, quoties id hominum utilitas exigere videbatur, in his caussis, in quibus lex aut Senatusconsultum ipso jure actionem petitionemque omnem aperte denegaret. 2) Idem quoque post legem Poeteliam evenisse videtur, quum enim illa, qua ratione creditori addicerentur bona debitoris, haud declarasset, Praetor, quo fungebatur officio, modum, formam et ordinem, quem in jure esset servaturus, edicto suo definiendi, procedendi formam, quam in bonorum exsecutione sequerentur Romani, constituit. Haec vero qualis tum fuerit, tacentibus scriptoribus, ignoramus hodie. Eadem tamen deinceps displicuisse videtur Publio Rutilio, qui praetura fungens aliam constituit formam, introducenda nimirum bonorum venditione,

1) Cic. *de Legg.* III. 1.

2) Conf. L. 1. pr. cum L. 7. pr. § 4, 7, 10, 11, 14. L. 11, L. 19 de SCto Maced.

quae diu in usu mansit. De hac igitur paucis videamus.

Si quis igitur vel in iure confessus, vel damnatus, iudicatum facere nolebat, Praetorem adibant creditores, et ut debitoris bona possidere sibi liceret, postulabant. Quod maxime rei servandae caussa fiebat, ut ne debitor in fraudem creditorum, quae adhuc sibi restarent bona, dilapidaret vel absconderet. Quumque bona per legitimum tempus, id est per triginta dies possedissent, 1) iterum conveniebant Praetorem, eumque rogabant, ut sibi liceret aliquem constituere, qui debitoris bona divenderet ceteraque perageret. Hic igitur ex creditorum numero delectus, (magistrum eum vocare solebant 2)) curabat, ut proscriptio in illustribus urbis partibus fieret, haec significans: illa debitor noster in caussam venumdationis incidit, nos creditores patrimonium huius distrahimus: emtor, qui volet, adesto. 3) Paucis deinde diebus elapsis tertio

1) Quomodo possidere deberent, ex edicto Praetoris monet Cic. *pro Quinct.* c. 27: *Qui ex edicto meo in possessionem venerint, eos ita videtur in possessione esse oportere: quod ibidem recte custodire poterunt, id ibidem custodiant, quod non poterunt, id auferre et abducere licebit.* Interim autem debitor, utpote suspecta persona, sustiadere debebat, ut docet Gajus IV. § 102.

2) Magistrum hunc a curatore bonorum posteriore iure probe distinguendum esse docent Neuhaus *ad l. Petill.* p. 55. not. k. Zimmern l. l. p. 251. atque in primis Stieber, *de bonorum emtione apud vet. Rom.* Lips. 1827. P. I. p. 61 sqq.

3) Theophilus ad pr. Inst. de Success. subl. Cf. Cic. l. l. c. 6, 19, 20

adibant Praetorem, postulantes, ut legem bonorum vendundorum sibi facere liceret, id est, ut conditiones, quibus bona venirent, constituerent, easque praescriptionis libello adjicerent. Remittebant autem vulgo debiti partem, metuentes, ne cognita aeris alieni copia, nullus reperiretur, qui patrimonium illud emeret. Tandem certa praeterito tempore, (rursus triginta dierum, ut complerentur sexaginta dies, per quos addictus ex XII tabulis a creditore in vinculis tenebatur [1]) emtori addicebatur patrimonium, qui bonorum emtor appellatus, debitori succedebat, et omnes actiones, quae illi competebant, quaeque adversus illum erant, nanciscebatur, licet plenum dominium tantum usucapione acquireret. [2]

Quae de triplice editione Praetoris, duce maxime Theophilo, disputavimus, pro parte negantur a Stiebero, [3]) qui ex Gaji verbis nonnisi bis Praetorem a creditoribus conveniendum, eiusque fidem longe longeque Theophili auctoritati praeferendam esse docet. Attamen, si quid video, apte uterque locus sibi invicem conciliari potest. Gajus enim dicit: » siquidem vivi bona veneunt, jubet ea Praetor per dies continuos

1) Vid. Pugge, *zur Lehre der Bonorum Venditio*, in *Rhein. Mus. f. Jurispr.* II. p. 88.
2) Gaj. III. § 80. Cf. Pugge l. l. p. 91.
3) Stieber l. l. p. 54.

xxx possideri et proscribi ... Postea jubet convenire creditores, et ex eo numero magistrum creari, id est, per quem bona veneant..... Vivi bona xxx (diebus) emtori addici jubet." 1) Quibus verbis Jurceconsultus non totam peragendae bonorum emtionis formam describere voluit, sed legitimum tantum definire tempus, intra quod bona et possideri et vendi debebant, et discrimen notare, si vivi et si mortui bona venirent. Neque his adversatur Theophilus, possideri bona dicens ἐπὶ ῥητὰς ἡμέρας, et antequam patrimonium publico veneat, praetereundum esse ῥητὸν χρόνον. Hisce tamen non contentus, quum totius processus formam describere vellet, post creatum magistrum *paucis elapsis diebus* tertiam Praetoris aditionem fieri narrat ad faciendam legem bonorum vendundorum. Neque haec Theophilum suo Marte adjecisse, ex Ciceronis loco probari potest, ubi in edicto suo egisse dicit *de bonis possidendis, magistris faciendis, vendendis, quae ex edicto et postulari et fieri solent.* 2) Hinc etiam explicandum, quare Justinianus et Theophilus per multas ambages multosque circuitus bonorum emtionem antiquitus factam esse dixerint. 3)

1) Gaj. III. § 79.
2) Cic. *ad Att.* VI. 1.
3) Pr. Inst. de Success. subl. *Cf.* Theophilus l. l.

Cuius autem bona ita a creditoribus vendebantur, utrum ejus existimatio minueretur necne, magna inter viros doctos controversia est. Dabelovius enim nunnisi de infamia facti cogitandum esse docet, quum ille, qui bonorum emtionem passus esset, a civibus suis fere sperneretur, neque talis haberetur, quocum rite contraherent. 1) Juris tamen infamiam hic locum habuisse, locupletissimus auctor est Cicero, variis locis capitalem eam caussam fuisse dicens. 2) Idemque monere videtur Tertullianus, ubi per bonorum proscriptionem capitis poenam in pudoris notam conversam esse dicit, licet nonnulli propter *capitis et pudoris* oppositionem, hic de levi ignominia sermonem fieri existiment. 3) Sed animadvertendum capitis poenam illo loco non infamiam significari, sed poenam, qua vita alicui aufertur, quum de sectione corporis debi-

---

1) Dabelow, *Ausf. Entwick.* p. 103.

2) Cic. *pro Quinct.* c. 8 § 51, c. 9. § 52, c. 13. § 44, 45, c. 31. § 95. Cf. ibid. c. 15, § 49, 50, ubi: *Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicuius eripuit injuria: tamen, dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. — Cuius vero bona venierint .... is non modo numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur — Ergo hercule, cuius bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur.* — Cf. L. 65. § 12. D. Pro socio: *nam cum in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur.*

3) Neuhaus diss. l. p. 34. not. d.

toris agatur, atque ita rite procedere illam oppositionem, si pudoris notam de infamia intelligas. Idque etiam Tertullianum voluisse, sequentia docent, ubi dicit: „suffundere maluit hominis sanguinem quam effundere."

97

# SECTIO POSTERIOR.

## LEGIS POETELIAE PAPIRIAE FATA.

## CAPUT I.

LEX POETELIA PAPIRIA IN DESUETUDINEM ABIIT

Quum lege Poetelia addictionem debitoris sublatam, inque eius locum bonorum proscriptionem successisse, ex antiquorum testimoniis demonstravimus, illud nobis disquirendum restat, quae deinde eiusdem fuerint fata. Legentibus autem scriptores, qui postea vixerunt, mirum videri possit, pluribus locis de addictis et vinctis debitoribus sermonem haberi, quam id lege nostra, quominus fieret, prohibitum fuerit. Livius enim edictum Junii Perae refert: „qui capitalem fraudem ausi, *quique pecuniae judicati in vinculis essent*, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque sese exsolvi jussurum": 1) cui adstipula-

1) Liv. XXIII. 14. — Anno U. 467. iterum seditio Romae facta est, qua plebs in Janiculum secessit, cuius caussa fuit aes

tur Valerius Maximus, M. Junii opera *addictorum* et capitali crimine damnatorum sex millia conscripta esse dicens. 1) Terentius autem: » *ducent* damnatum domum. *Alere* nolunt hominem edacem." 2) Cicero Naevii verba affert, ubi quis *judicatum duci* videns, percunctatur: *quanti addictus?* 3) idemque alio loco: » cum judicatum non faceret, *addictus* Hermippo et ab eo *ductus est.*" 4) Neque tantum libera republica, sed et postea sub Imperatoribus, addictionem locum habuisse, multis testimoniis probari potest. Lex enim Galliae Cisalpinae: » quique cumque duumvir ... eum, qui ita quid confessus erit, neque id solvet satisve faciet ... sine fraude sua *duci* jubeto; quique eorum quem, ad quem ea res pertinebit, *duxerit*, id ei fraudi poenaeve ne esto." 5) Gellius autem: » *addici* nunc et *vinciri* multos videmus." 6) Apud Quinctilianum tam frequens de addictis mentio fit, ut, quin ipsius aetate adhuc fue-

---

alienum, si fides habenda est Liv. Epit. lib. XI, quod haud verosimile est; etenim ex Plinio, (*Hist. Nat.* XVI. 15) ea opportunitate legem Hortensiam latam esse memorante, qua cautum, ut plebiscita etiam patres tenerent, aliam illius seditionis caussam fuisse colligeres.

1) Val. Max. VII. 6. 1.

2) Terent. *Phorm.* II. 2. 20. Cf. Donatus ad h. l.

3) Cic. *de Orat.* II. 63.

4) Cic. *pro Flacco.* c. 20. fin. Cf. *pro Rosc. Com.* c. 14.

5) Lex Gall. Cisalp. c. XXI. vs. 15-20. c. XXII. vs. 46.

6) Gell. XX. 1.

rint, dubitari nequeat. 1) Imo in Digestis hic illic de iisdem sermo habetur. Licinius Rufus enim. „si victum vel stratum inferri quis *judicato* non patiatur, utilis in eum poenalis actio danda est." 2) Ulpianus autem: „ait Praetor: inve vinculis esset.... Fieri enim poterat, ut quis in vinculis praesens esset, vel in publica, vel *in privata ductus*." 3) Item Paulus: „lege Julia de vi publica excipiuntur ...., *judicati et confessi*, et qui ideo *in carcerem duci* jubentur, quod jus dicenti non obtemperaverant." 4) Gajus: „interdum autem etiam liberorum hominum furtum fit,.... velut si *judicatus* vel auctoratus meus subreptus fuerit." 5) Alexander Severus: „in eo hoc beneficium (cessio bonorum) iis prodest, ne *judicati detrahantur in carcerem*." 6)

Ex hisce igitur locis, aliisque, quae huc referri possint, 7) evidentissime patet, postea rursus invaluisse

---

1) Quinct. *Inst. Orat.* III. 6, V. 10; VII. 3, p. 244, 414, 620. Ed. Burm.

2) L. 34. D. de Re judic. Cf. L. 45 de V. S.

3) L. 23. pr. D. Ex quibus caus. maj.

4) Paul. *Rec. Sent.* V. 26 § 2. Cf. L. 9. § 6. Ad leg. Jul. pecul.: *pecuniam ab eo is, qui hoc imperio utitur, exigeret, i. e. pignus capiendo, corpus retinendo, mulctam dicendo.*

5) Gaj. III. § 199.

6) L. 1. Cod. Qui bon. ced.

7) L. 1. Cod. de Priv. carc. L. 12. Cod. de Obl. et act. L. 1. Cod. Th. Qui bonis ced. L. 3. Cod. Th. de Exact.

addictionem, neque tantum bona sed et corpus debitorum debitis obnoxium fuisse, et quoniam legem Poeteliam non alia lege abrogatam legimus, statuendum est, legem illam haud diu viguisse, sed sensim in desuetudinem abiisse. Qui tamen id fieri potuit? Quomodo plebs id, quod per tot seditiones, per tantam virium contentionem, tandem a patribus impetraverat, sibi eripi, et legem, quae ipsi velut aliud initium libertatis fuerat, quaeque eam contra injurias patriciorum vindicabat, temporis decursu vim suam amittere, perpeti potuit? Quod vix credibile videatur. 1) Quocirca Niebuhrius, Savinius, alii lege Poetelia non addictionem, sed nexum sive oppignerationem corporis illa, hic vere nexum imaginarium sublatum esse statuerunt, ut supra exposuimus, indeque explicare studuerunt, quare postea *addictorum* frequens, nulla vero *nexorum* apud scriptores mentio fiat. Eorum tamen sententiam non rite procedere, supra ostendere conati sumus; neque etiam, si vera esset, sommoveretur illa difficultas, quum de nexis apud posteriores etiamnuno sermo habeatur. Varro enim dicit: » liber, qui suas operas in servitutem ... debebat, *nexus vocatur*," 2)

---

Nov. 135. c. 1; de quibus tamen conf. v. Savigny l. l. p. 32 sqq.

1) Cf. hac de re Debelow l. l. p. 87.

2) Varro, *de L. L.* VII. 105. Ed. Müll. Addit autem: *hoc ..... sublatum ne fieret, ut omnis, qui bonam co-*

et Columella: „agros proculcandos pecudibus ..... aut occupatos *nexu civium* et ergastulis tenent." 1) Quum vero ex omnibus antiquorum de nostra lege effatis addictionem per eam sublatam esse pateat, posteaque rursus addictos fuisse dabitores legamus, id nobis incumbit, ut, quomodo lex, quae ita libertati plebejorum consuluit, in desuetudinem venire potuerit, explicemus.

Ac primum quidem auxilio vocamus leges foenebres, quae, licet inopibus admodum faverent, ad unam tamen omnes temporis decursu vim suam amiserunt. Unciario enim foenore, lege XII tabularum sancito, 2) non contenti creditores, eludere variis artibus legem studuerunt, ut deinde a tribunis M. Duilio et L. Maenio eadem lex in usum revocari deberet. 3) Decenmio post usura ad semiunciam redacta, 4) tandem lege Genucia, ut videtur, foenore in totum sublato, 5) non tolerabilior dabitorum conditio facta est, propter fraudes creditorum, quae, ut ait Tacitus, toties repres-

---

*piam jurarunt, ne essent nexi, dissoluti.* Itaque qui bonam copiam jurare non poterant, *nexi* etiamnunc esse poterant.

1) Colum. *de Re Rust.* lib. I. c. 3. § 12 Cf. Varro, *de Re Rust.* lib. I. c. 17. § 2.

2) Tacit. *Ann.* VI. 16. Cato, *de Re Rust.* in prooem. Cf. Dirksen, *Zwölftafelfragm.* p. 594.

3) Liv. VII. 15.

4) Liv. VII. 27.

5) Liv. VII. 42. Tacit. *Ann.* VI. 16. Appianus, *de bello civ.* I. 54.

sae, miras per artes rursus oriebantur. 1) Etenim quum creditores mutuam dare pecuniam nollent, nisi solverentur usurae, debitores, ut inopiam effugerent, accipere conditiones, quas illi vellent, cogebantur, ideoque usuras promittebant et solvebant, licet legibus vetitas. Cuius rei memorabile exemplum refert Appianus. Narrat enim antiquam legem (fortasse legem Genuciam), quae pecuniam sub usuris mutuo dare vetabat, quaeque poenam in foeneratores constituerat, lapsu temporis in desuetudinem abiisse; quumque creditores promissas usuras exigerent, debitores vero, illam legem invocantes, solvere detrectarent, Praetorem Asellionem ita jurisdictionem temperasse, ut difficultatem, quae ex repugnantia legis cum more oriebatur, ad judices rejiceret. Eundem tamen addit a foeneratoribus istis, iratis quod vetarem legem in usum revocare vellet, seditione facta, esse obtruncatum, neminemque inventum, qui caedis auctores iudicaret, licet praemium indici esset promissum. 2)

---

1) Tacit. *Ann.* VI. 16. Cf. de hisce Cl. Holtius, *Hist. jur. Rom. lineam.* § 393. G. Noodt, *de foen. et usur.* Opp. Vol. I. p. 178.

2) Appianus, *de bello civ.* I. 54. — Neque tantum foenebres leges, sed et aliae, quibus libertas plebis vindicabatur, in desuetudinem abierunt: exemplo sit lex de provocatione, quam ter latam esse constat, *cuiusque renovandae caussam haud aliam fuisse*, dicit Livius X. 9, *quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant.*

Quum igitur leges foenebres, inopum caussae admodum prospicientes, in desuetudinem abierint, quamvis saepius de foeneratoribus poenas sumtas esse legamus, 1) quidni etiam lex Poetelia vim suam amittere potuit, moribus populi Romani, et vero antiquitatis universae, adeo contraria, quum unice addictione debitoris recuperare datam pecuniam possent? nihilquo bonorum proscriptione juvarentur, quoties bona proscribenda nulla invenirentur? At vero, dixerit aliquis, dispar est usurarum et addictionis ratio: illis enim tantum augentur debita, haec vero ipsi civium libertati insidiatur, efficitque ut in servili prope conditione teneantur, ideoque foenebres quidem leges in desuetudinem abire potuerunt, quippe quibus patrimonio tantum civium consulebatur, lex vero, qua sublata est addictio, qusque libertas civium nitebatur, antiquari nullo modo poterat. Quae disputatio etiamsi vera esse videatur, vera tamen non est. Etenim illud in primis in antiquo addicendi jure durum erat, quod non tantum creditae pecuniae, sed etiam usuris corpus debitoris obnoxium esset, quae quotidie crescentes efficiebant brevi, ut nullo amplius modo creditoribus satisfieri posset. 2) Quocirca haud a vero aber-

1) Vid. e. g. **Liv.** VII. 28, X. 23, XXXV. 41.

2) Hinc apud **Livium** II. 23. obaerati querela. *aes alienum* ***cumulatum usuris***, *primo se agro paterno*

rare nobis videris, si paucos tantum ob sortem, complures vero ob usuras, antiquitus addictos fuisse statuas. Itaque leges, quae foeneratorum avaritiam cohibebant, non tantum patrimonio civium, sed etiam libertati consuluisse dicendae sunt, ideoque mirum esse non potest, legem Poeteliam antiquatam esse, quum tot foenebres leges eandem habuerint fortunam.

Quo vero evidentius pateat, non esse, cur miremur, legem, libertatis vindicem, in desuetudinem abiisse, menendum est, idem jam antiquitus obtinuisse, quod de lege nostra nunc contendimus. Etenim licet Servius Tullius addictionem debitorum sustulerit, eandemque revocatam a Tarquinio, rursus abrogaverint Consules, brevi tamen post usu eam denuo invaluisse et debitores creditoribus suis addictos fuisse, historici referunt. Neque me latet, duce Salmasio, 1) dubitasse viros doctos, an revera addictionem sustulerit Servius: sed omnino id eum peregisse, Dionysii auctoritate demonstrari potest. Apud eum enim rex inducitur ad plebem verba faciens, eique promittens, se ex suis facultatibus obaeratorum debita dissoluturum, ne cives Romani libertate privarentur; quibus addit: ὅσοι δ' ἂν μετὰ ταῦτα δανείσωνται, τούτους οὐκ ἐάσω πρὸς τὰ

*avitoque exuisse .... postremo, velut tabem pervenisse ad corpus.* Cf. VI. 15, 27. Dion. Hal. VI. 58.

1) Salmasius, *de modo usur.* p. 807.

*χρέα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ καὶ νόμον θήσομαι, μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις, ἱκανὸν ἡγούμενος τοῖς δανεισταῖς τὰς οὐσίας τῶν συμβαλλόντων κρατεῖν.* 1) Quum autem deinceps Dionysius narret, Servium solvisse civium debita, non vero eum legem illam tulisse expresse dicat, interpretes regem promissis non stetisse existimarunt. Sed animadvertendum verba, quae historicus Tullio tribuit, non ipsius regis, sed Dionysii esse, qui historicorum more principes in civitate viros dicentes interponit, quique idcirco regem non ea promittentem induxisset, quae eum non perfecisse sciret. Praeterea idem de Tullio tradit: *νόμους τε συνέγραψεν ἐκ τῶν ἀρχαίων καὶ παρημελημένων ἀνανεούμενος, οὓς Ῥώμυλός τε εἰσηγήσατο καὶ Νεμᾶς Πομπίλιος, οὓς δὲ αὐτὸς καθιστάμενος.* 2) Ipse porro rex, penes plebem accusans patricios, utpote novas res molientes, iratos eos esse dicit, quod inopum caussae et libertati consuluisset: *οἱ δανεισταὶ μὲν*, ait, *ἄχθονται, ὅτι τοὺς πένητας ὑμᾶς οὐκ εἴασα τὴν ἐλευθερίαν ἀφαιρεθῆναι, ὑπ' αὐτῶν πρὸς τὰ χρέα ἀχθέντας.* 3) Denique Dionysius, ubi memoravit leges, a Tullio latas, postea a Tarquinio Superbo fuisse antiquitas, 4) easdem

1) Dion. Hal. IV. 9
2) Ibid. IV. 10.
3) Ibid. IV. 11.
4) Ibid. IV. 43: *Τούς τε γὰρ νόμους τοὺς ὑπὸ Τυλλίου*

tamen porro narrat a Consulibus restitutas fuisse: *καὶ γὰρ τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν συμβολαίων, τοὺς ὑπὸ Τυλλίου γραφέντας, φιλανθρώπους καὶ δημοτικοὺς εἶναι δοκοῦντας, οὓς ἅπαντας κατέλυσε Ταρκύνιος, ἀνενεώσαντο.* 1) Dubium igitur esse nequit, quin Dionysius revera Servium Tullium addictionem sustulisse, eandemque a Tarquinio restitutam, a Consulibus iterum repudiatam fuisse dixerit. Hoc tamen beneficium Consulum, quod nulla deinde lege abrogatum legimus, haud diu viguit, sed paucis annis post per foeneratorum improbitatem et praepotentiam in desuetudinem abiit, 2) atque creberrimae plebis de addictis inque servilem

---

*γραφέντας, καθ' οὓς οὐδὲν ὑπὸ τῶν πατρικίων, ὡς πρότερον, ἐβλάπτοντο περὶ τὰ συμβόλαια, πάντας ἀπέλυσε.*

1) Dion. Hal. V. 2.

2) Hinc Dion. Hal. V. 53: *οὐ γὰρ ἐμετρίαζον ἐν ταῖς ἐξουσίαις οἱ δανείζοντες, ἀλλ' εἰς δεσμοὺς τὰ τῶν ὑπαχρέων ἀπῆγον σώματα, καὶ ὥσπερ ἀργυρωνήτοις αὐτοῖς ἐχρῶντο.* Cf. Ibid. VI, 22. Liv. II. 21: *Plebs, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, injuriae a primoribus fieri coepere.* Sallust. *Hist. fragm.* lib I. ex Augustino (in Ed. Cortii p. 934): *Injuriae validiorum fuerunt jam inde a principio. neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto jure agitatum: dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere. Quibus saevitiis, et maxime foenoris onere oppressa plebes ..... armata montem sacrum atque Aventinum insedit.* Cf. Dio Cass. in *Nov. Coll. vet. Script.* ed. Maj. Vol. II. p. 142.

plane conditionem redactis debitoribus quereiae apud historicos inveniuntur, donec decemviri addictionem XII tabulis iterum sancirent.

Erunt fortasse, qui ne his quidem contenti sint, sive Dionysii in antiquis rebus enorrandis, praesertim de suspecta illa aetate regia, fidem levem habentes, sive id, quod primis reipublicae temporibus factum sit, postea fieri potuisse negantes, quum major plebi esset auctoritas, et jurisdictio uni magistratui competeret, cuius hoc summum esset officium, ut leges exsequeretur. Quibus ut respondeam, non leges foenebres iterum invocabo, florente republica, vigente Praetoris jurisdictione antiquatas, neque Dionysii fidem defendere conabor, quippe qui viginti duos annos Romae habitaverit, atque annales et historicos studiose legerit; 1) sed unice afferam edictum Tiberii Julii Alexandri, his temporibus in Aegypto inventum, unde evidentissime patet, legibus libertatem inopum tuentibus, adversatos fuisse creditores easque variis artibus elusisse. Constituerat enim Augustus, sive potius confirmaverat antiquam Aegyptiorum legem, qua cautum erat, ne debitor a creditore duceretur, sed tantum ejus bona debitis obnoxia essent, 2) exceptis iis, quae

1) Dion. Hal. I. 7.

2) Diod. Sicul. I. 79. Τῶν δὲ ὀφειλόντων τὴν ἔκπραξιν τῶν δανείων ἐκ τῆς οὐσίας μόνον ἐποιήσατο (Βίκχορις), τὸ δὲ σῶμα

fisco deberentur, quae si non solverentur, debitorem in πρακτόρειον duci jusserat. Hisce tamen non contenti, procuratores Caesaris ceterique tributorum exactores, inopes debitores propter privata quoque debita in carcerem illum conjiciebant, imo vero aliorum debita sibi cedi patiebantur, ut eadem ratione in obaeratos saevirent. Haec igitur foeneratorum improbitas Tiberium Julium Alexandrum movit, ut edicto suo reciperet Augusti legem, iterumque vetaret, ne quis, nisi fisci debitor, in πρακτόρειον duceretur. 1) Sed ne hoc quidem edictum creditorum avaritiam et saevitiam compescuit: quum postea rursus necesse duxerint Imperatores, ut constitutionibus suis privatos carceres, gravissima poena constituta, vetarent. 2)

κατ' οὐδένα τρόπον ἐλάσσω ὑπάρχειν ἀγώγιμον, ἡγούμενος δεῖν εἶναι τὰς μὲν κτήσεις τῶν ἐργασαμένων ἢ παρὰ κυρίου ἐν δωρεαῖς λαβόντων, τὰ δὲ σώματα τῶν πόλεων, ἵνα τὰς καθηκούσας λιτουργίας ἔχωσιν αἱ πόλεις, καὶ κατὰ πόλεμον καὶ κατ' εἰρήνην.

1) Haec edicti sunt verba: Ἐπειδὴ ἔνιοι προφάσει τῶν δημοσίων καὶ ἀλλότρια δάνεια παραχωρούμενοι εἴς τε τὸ πρακτόρειόν τινας παρέδοσαν καὶ εἰς ἄλλας φυλακάς, ἃς καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο ἔγνων ἀναιρεθείσας, ἵνα αἱ πράξεις τῶν δανείων ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὦσι καὶ μὴ ἐκ τῶν σωμάτων, ἑπόμενος τῇ τοῦ θεοῦ Σεβαστοῦ βουλήσει, κελεύω μηδένα τῇ τῶν δημοσίων προφάσει παραχωρεῖσθαι παρ' ἄλλων δάνεια, ἃ μὴ αὐτὸς ἐξ ἀρχῆς ἐδάνεισε, μηδ' ὅλως κατακλείεσθαί τινας ἐλευθέρους εἰς φυλακὴν ἡντινοῦν, εἰ μὴ κακοῦργον, μηδ' εἰς τὸ πρακτόρειον, ἔξω τῶν ὀφειλόντων εἰς τὸν κυριακὸν λόγον. *Rhein. Mus. f. Phil.* II. p. 147 sq.

2) L. un. Cod. Theod. de Priv. carc. cust. L. 1. Cod. de Priv. carc. toll., quas affert Rudorff, *Rhein. Mus.* l. l. p. 166.

Quodsi ex hisce omnibus probabile fit, legem, quae ..irium libertatem vindicaret, in desuetudinem abire, atque idcirco addictionem, licet lege Poetelia abrogatam, postea in usum revocari potuisse, omni dubio ea res carere videbitur, ubi legem nostram revera antiquatam fuisse, veterum testimoniis probaverimus. Quamobrem provocamus ad Sallustium, qui C. Manlium ad Marcium Regem haec scribentem inducit: »Deos hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum homini faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; *neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege uti, neque amissa patrimonio, liberum corpus habere*: tanta saevitia foeneratorum atque Praetoris fuit. — Libertatem potimus, quam nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. Te atque Senatum obtestamur, consulatis miseris civibus; *legis praesidium, quod iniquitas Praetoris eripuit, restituatis*." 1) Ante omnia igitur quaerendum est, quaenam sit illa lex, cuius praesidium sibi ereptum queritur Manlius. Zimmerenus temporariam hic legem significari existimat, qua, ut saepius factum

1) Sallust. *Catil.* c. 33.

est, debita civium vel in totum vel pro parte remissa sint. 1) Qua ratione vero haec sententia cum Manlii verbis conciliari possint, me non intelligere ingenue fateor. Etenim si temporaria tantum fuisset lex, non habuissent Manliani, quod quererentur, quum legis illud beneficium tantum iis competiisset, qui ea tempore, quo ferretur lex, debitis essent onerati; inepte praeterea, si illam sententiam sequaris, locuti fuissent, iniquitate Praetoris sibi legis praesidium ereptum fuisse dicentes, quasi Praetoris esset culpae tribuendum, quod temporariam legem non perpetuam reddidisset. Accedit, quod iidem deinde temporariae legis mentionem faciant: »Saepe majores vestrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae opitulati sunt: ac novissime, memoria nostra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est." Si vero rite singula Manlii verba attendis, non aliam hic, atque legem Poeteliam, significari, sponte patebit. Dicit enim, *neque cuiquam nostrum licuit lege uti*, eaque deinceps explicat: *neque amisso patrimonio liberum corpus habere*; Poeteliae autem legis caput erat, ut supra vidimus: *ut pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset*, ideoque hac lege debitori permittebatur, ut *liberum*

1) Zimmern, *Gesch. des Röm. Privatrechts*, Vol. III. p. 137. not. 6.

quidem *corpus* haberet, sed *omitteret patrimonium*, quod publice proscriberetur. Vere igitur, etsi non recte, illi beneficium illud sibi ereptum queri poterant, quum lex in desuetudinem abiisset: vere etiam huius rei culpam in Praetorem conjicere, cujus hoc summum esset officium, ut tueretur leges, atque ex iis perpetuo jus diceret.

Haud deerunt tamen, qui hisce Manlii verbis nullam fidem habendam esse censeant, quasi a vanis et seditiosis ac nefariis hominibus prolatis. Quibus idem respondemus, quod supra de Servii Tullii apud Dionysium verbis animadvertimus, Sallustium historicorum more eum hic loquentem inducere, ut probant eius verba: *Manlius ad Marcium Regem mittit, cum mandatis huiuscemodi.* Parum igitur probabile est, viros ab illo ea dicentes proponi, quae mere mendacia essent, deque re, quae compluribus Romanis cognita esse debuit, eoque minus, quum Sallustius iisdem fere temporibus, quibus ipse Manlius, vixerit. Quumque hoc esset Manlii propositum, ut consilia sua celaret, callideque Senatui significaret, honesta tantum se velle, imprudentissime sane egisset, iis memorandis, quae falsa esse sponte intellecturus fuisset Senatus. Mirum praeterea foret, Marcium, cuius responsum deinde refert Sallustius, fraudem illam non improbasse.

Difficultas vero superest, quod *iniquitate Praetoris* legis praesidium sibi ereptum queritur Manlius; Praetor enim semper juris civilis severitatem mitigare studuit, ideoque vix credibile est, eum adeo officii sui fuisse immemorem, ut inopes cives beneficio legis defraudaret. Sed, ut ait Cicero, summum jus saepe est summa injuria, idque etiam post sublatam addictionem dici potuit, quum deperditi homines legis praesidium invocarent. Hi enim bona sua, antequam proscriberentur a creditoribus, in eorum fraudem dilapidabant vel abscondebant, ita ut, si postea dies venisset, illi non haberent, quod in commodum suum publice distraherent. Itaque Praetor, legem Poeteliam non in scelestorum sed in inopum caussam scriptam intelligens, hisce casibus eam cessare jubebat, et creditori corpus debitoris addicendo, efficiebat, ut lex in civium utilitatem lata, civibus detrimentum non afferret. Hanc igitur agendi rationem, iniquitatem clamitasse Manlianos, non est quod miremur, quum ipsi per eam legis beneficio privati essent.

## CAPUT II.

### LEX POETELIA A SULLA PRO PARTE REVOCATUR.

Redeundum jam est ad locum Varronis, unde supra antiquam debitorum conditionem explicare conati sumus, ut legis nostrae quae postea fuerint fata, nobis pateat. Ubi enim liberum, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam deberet, dum solveret, *nexum* vocari memoravit, addit: » Hoc C. Popilio rogante, Sulla dictatore, sublatum ne fieret, ut omnis, qui bonam copiam jurarunt, ne essent nexi dissoluti." 1) Quem locum prorsus corruptum esse animadvertit Salmasius, Sullam, plebis adversarium, talem fuisse negans, qui inopibus et obaeratis consuleret: praeterea non nova lege ad liberandos nexos opus fuisse, quum satis esset antiquatam legem Poeteliam in usum revocare eamque confirmare: neque tandem fieri

1) Varro *de L. L.* VII. 105. Ed. Müller Codd. haec habent *C. Popilio* (*pompilio*, *pepillo*) *vocare* (*vacare*) *Sillo* (*silla*) *dictatore* (*dictare*, *dictator*) rel. Pro *dissoluti* conjecturâ scripsit Müllerus *sed soluti*, quum voces *dis* et *sed* saepius permutentur, cujus rei exempla tradit in *Praef. ad edit. Varr.* p. XXVI.

potuisse, ut lex a Sulla lata decennio post, tempora Catilinae, in desuetudinem abiisset, Manliusque apud Sallustium eiusdem nullam faceret mentionem. Quocirca verbis *Sulla dictatore* expunctis, pro *C. Popilio rogante* legendum esse *C. Poetelio auctore* censuit. 1) Varronem hic de lege Poetelia cogitasse, cum Salmasio plures existimarunt, unde Sigonius *C. Poetelio Visolo dictatore*, Müllerus vero *C. Popilio auctore*, *Visolo dictatore* conjecturâ scripserunt. 2) Hisce tamen adversatur Codicum auctoritas, qui omnes Sullae dictatoris montionem faciunt, quae verba a librario in textum recepta esse, ut Salmasio placuit, parum probabile est; neque magis Mülleri conjectura probanda videtur, quum solis cognominibus non nominarentur Romani, nisi honoris caussa ad distinguendos eiusdem nominis viros, ut de Scipione Africano nonnunquam legimus. Quod de Visolo dici nequit, quod totius gentis Poeteliorum cognomen erat. Sed obstat praeterea, quod neque Livius, neque Cicero, neque ceteri, qui legis Poeteliae mentionem fecerunt, quidquam de jurando bonam copiam monuerint, sed universe ea lege necti desitum esse dixerint. Unius autem Varroniani loci

1) Salmasius, *de modo usur.* p. 335

2) Müllerus C. Popilium hunc eundem esse dicit, atque C. Publilium, quem Livius excitasse populum ad nexos solvendos narrat lib. VIII. 28. Visolum autem dictatorem hic dici C. Poetelium, cognomine Visolum, existimat.

auctoritate credere, lege nostra non omnes debitores, sed unice qui bonam copiam jurarent, solutos fuisse, ut contendit **Niebuhrius**, 1) temeritatis esse videtur, quum grammatici illius locus nonnisi conjecturâ et mutatis nonnullis vocabulis ad eandem legem trahi possit. Itaque Varro hic non legem Poeteliam, sed aliam quandam cogitasse videtur; neque rationem video, quare a Sulla dictatore eandem latam fuisse denages, quum debitorum eum curam habuisse et unciariam legem tulisse Festus nos doceat, 2) et Popilius, qui apud Varronem laudatur, Sullae aetate (anno U. 672) quaestor urbanus fuerit. 3)

Ad explicationem autem huius legis progredientibus, primum spectanda veniunt verba *bonam copiam jurare;* in quibus interpretandis viri docti in diversas partes abierunt. Multi enim ea locutione hoc significari reputantes, ut jurot quis, sibi etiamnunc adesse bona, ex quibus creditoribus satisfieri posit, id legis illius consilium fuisse negarunt, ideoque non *jurarunt* sed *ejurarunt* scribendum censuerunt, provocantes ad Festum, dicentem: *ejuratio significat id, quod deside-*

1) **Niebuhr**, *Röm. Gesch.* Vol. III. p. 180. quocum facit **Eckstein** in **Ersch u. Gruber**, *Encyclop.* voce *Papiria gens.* p. 163.

2) **Festus** v. *unciaria lex: Unciaria lex dici coepta est, quam L. Sulla et Q. Pompejus Rufus tulerunt, qua sanctum est, ut debitores decimam partem ......*

3) **Pighii** *Annales* III. p. 267.

*retur, non posse praestari,* 1) et ad Ciceronem similiter de bonae copiae ejuratione loquentem. 2) Huc igitur eorum sententia redit: Sullam lege sua sanxisse, ut debitores, qui jurejurando se solvendo non esse affirmarent, si bona, quae sibi adhuc adessent, creditori cederent, carcerem et addictionem effugerent. 3) Dirksenina vero vulgatam lectionem, quae omnibus Codd. confirmatur, recipiens, formulas *bonam copiam jurare* et *bonam copiam ejurare* idem significare existimat, ideoque, quoad legis propositum, illorum sententiae assentitur. 4)

Verumtamen locutiones *jurare* et *ejurare bonam copiam* eiusdem esse significationis, ne ullo quidem antiquorum loco demonstrari potest, imo vero, si verbi *jurare* propriam vim attenderis, contrarium plane notare videbitur. Sic e. g. Cicero, ut Apuleji auguris coenas evitaret, se *perpetuum morbum juraturum*, Attico suo scribit, 5) id est, jurejurando se affirmatu-

1) Festus v. *ejuratio.*
2) Cic. *ad Fam.* IX. Ep. 16
3) Cf. Neuhaus, Diss. l. p. 35. Debelow, Op. I p. 107 sqq. — Hanc autem sententiam si sequeris, inepta plane lex dicenda foret · tum enim suffecisset debitoribus, ut quae sibi adessent bona dilapidarent vel alienarent, ut deinde ejuranda bonam copiam ab addictione creditique solutione se liberarent.
4) Dirksen, *Observ. ad Tab. Heracl. partem alt.* Berol. 1817. p. 110.
5) Cic. *ad Att.* XII. 15. Similiter ad Atticum scribit: *Aquilius denegavit et juravit morbum.* lib. I. Ep. 1.

rem, perpetuo se morbo, quominus ad coenas veniret, impediri. Quam significationem attendentibus, *jurare bonam copiam* nihil aliud est, atque jurejurando interposito affirmare bonam sibi copiam esse, sive adesse sibi, unde aliis solvere possit. Eodem haec locutio etiam in tabula Heracleënsi legitur, ex qua ad rite intelligendum locum Varronis lux afferri potest. In iis enim personis, quae in municipiorum, coloniarum Senatu vel decurionibus esse vetantur, numerantur etiam: *qui in jure abjuraverit, bonamve copiam juravit, juraverit, qui sponsoribus creditoribusve suis renuntiavit, renuntiaverit, se solidum solvere non posse, aut cum eis pactus est, erit, se solidum solvere non posse.* [1]) Quae verba ab interpretibus vario modo accipiuntur. **Mazochius** enim bonam copiam jurare hic per euphemismum dictum esse putat pro *bonis cedere.* Sed, ut rite animadvertit **Marezollius**, non est, quod de euphemismo cogites in lege, quae vel turpiore enumeret: neque id de cedendis bonis accipi potest, quum cessionis postea mentio fiat. **Dirksenius** vero ibi eum intelligi putat, qui selenni modo declarat se solvendo non esse, locutiones jurare et ejurare bonam copiam idem significare statuens. [2]) Attamen, si id verum esset, bis idem menuisset lex illa, quum deinceps

1) *Tab. Heracl.* vs. 113–115.
2) **Dirksen**, Op. l. p. 105 sqq.

agat de eo, qui sponsoribus creditoribusve renunciavit, se solidum solvere non posse. Quocirca magis ad Marezollii sententiam accedo, illam dictionem accipientis de eo, qui jurat se creditoribus adhuc satisfacere posse. 1) Etenim arcte conjungenda esse verba *bonamve copiam juraverit* cum sequentibus *qui sponsoribus creditoribusve suis renunciaverit*, inde patet, quod particula *ve* voci *qui* non annexa est, quae ceteroquin ubique in hac lege adest, ut alter casus ab altero distinguatur. Itaque eorum verborum sensus huc redit: ne quis in Senatu decurionibusve esto, qui, quum antea se solvendo esse juraverit, postea sponsoribus creditoribusve, se solidum solvere non posse, renunciaverit, ideoque perjurii convictus sit. Quae interpretatio eo etiam commendatur, quod paulo ante de eo agitur, *qui in jure abjuraverit*: *abjurare* enim, Servio interprete, est *rem creditam negare perjurio.* 2)

Quodsi haec ad locum Varronis, supra laudatum, referimus, ferendae huius legis propositum fuisse videtur, ut ab addictione et vinculis liberarentur, quotquot se creditoribus satisfacere posse, solenniter in jure jurarent. Quum enim (ut credere licet) orirentur de

---

1) Marezoll, *Fragm. leg. Rom. in aversa Tab. Heracl. parte.* Gött. 1816. p. 142.

2) Servius ad Aeneid. lib. VIII. vs. 263. Cf. Plaut. Curcul. IV. 2. 10: *qui abjurant, si quid creditum est.* Plaut. *Pers.* IV. 3. 9. *Rudens* Prol. v. 14.

lege Poetelia contentiones, (quales, Praetore Asellione, de lege Genucia obtinuisse supra retulimus 1)) debitoribus legem illam invocantibus, creditoribus eandem in desuetudinem abiisse clamantibus, ideoque ut sibi addicerentur obaerati, postulantibus, nullus controversiarum finis sperari poterat, nisi nova lege utriusque jure definirentur. Idque Sullae ansam praebuit perferendae legi, qua jus XII tabularum cum lege Poetelia conjungeret, constituens nimirum, ut debitores, qui promissis suis stare et satisfacere creditoribus nequirent, iis addicerentur: qui vero se solvendo esse solenniter jurarent, eorum tantum bona possiderentur a creditoribus, quae, nisi intra triginta dies creditum esset solutum, ab iisdem proscriberentur ac venderentur.

Huiusmodi legitimum moderamen, quo jus creditores inter ac debitores secundum antiquarum legum cum severitatem tum lenitatem temperaretur, et Sullae moribus, et legum Sullanarum ingenio, in primis vero temporum necessitatibus convenire videtur. 2) Per bella civilia et proscriptiones magnae successerant

1) Supra p. 102.

2) Cff. hac de re Wittich et Ramshorn, *de reip. Rom. ea forma, qua L. Corn. Sulla dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit.* Lips. 1834 et 1835. et in primis Vockestaert, *Diss. de L. Corn. Sulla dictatore.* L. B. 1816.

fortunarum conversiones, adeo vitae civilis universae conversio, propter quam multa continue instauranda, infirmanda, constituenda dictatoris prudentiam requirebant, quaeque etiam constituisse eum in reipublicae administratione, et in criminum coërcitione, aden in morum regimine populi Romani, novimus. Admodum idcirco probabile est curam eius et sollicitudinem advertisse aes alienum juraque pecuniae creditae ut et debitorum conditionem, quae res, ut usus temporum priorum usque docuerat, tantopere ad pacem pertinebat et salutem reipublicae.

Duplicis autem exsequendi rationis, quam ex conjunctione juris decemviralis cum lege Poetelia, Sulla auctore, Romae invaluisse, ex Varrone docuimus, vestigia reperiuntur in lege Galliae Cisalpinae, ubi: « Praetor isve, qui de ea re Romae juri dicundo praeerit, in eum .... ita jus dicito, decernito, *eosque duci, bona eorum possideri proscribive veniregue jubeto*, ac si is .... in jure apud eum Praetorem, eumve, qui Romae juri dicundo (poterit) praeësse, confessus esset." 1) Commode enim haec, quae alioquin difficillima sunt, 2) ex Sullae instituto explicari pos-

1) *Lex Gall. Cisalp.* cap. XXII. vs. 45-50. Memorandum quoque est, eodem modo, quo decemviri in XII tabulis *se fraude esto* scripserint, legem Galliae Cisalp. constituisse. *Duumvir .... sine fraude sua duci jubeto; quique .... duxerit, id ei fraude poenaeve ne esto.*

2) Vid. Hugo, *Civil. Mag.* Vol. II. p. 491.

sunt. Quum enim Galliа Cisalpina, provinciae formâ sublatâ, cum reliqua Italia consociaretur legemque Romanam acciperet, duplex quoque, quae tum Romae vigebat, exsequendi forma in eam introducebatur, ut proscriberentur venirentque bona eorum, qui bonam copiam jurarent, ducerentur vero, qui bonis essent destituti. 1)

Hanc autem loci Varroniani explicationem, quae propria verborum significatione nititur, si sequeris, sponte jam intelligitur, quid de iis sit statuendum, quae **Salmasius** aliique, ut legem illam Poetelio non vero Sullae vindicarent, monuerint. Quod enim illi dixerunt, non opus fuisse nova lege ad liberandos nexos, quum vetus adesset lex, quae in usum revocari et confirmari posset, id negamus, quoniam addictionem tollendi, ut fecit Poetelius, non aeque Sullae propositum fuit. Neque est, quod cum illis mireris,

---

1) Cf. tamen **Dirksen**, *Obss. ad selecta legis Gall. Cisalp. capita*, p. 54 sq., qui huius legis dispositiones ex lege Julia de cessione bonorum explicare conatur, qua cautum fuit, ut qui bonis cederent, carcerem non paterentur, exceptis tamen improbis bonorum suorum decoctoribus. Attamen in lege Galliae Cisalp. tantum de confessis agitur deque iis, qui contumaces se in jure judicioque praestiterant, nullo modo cum improbis decoctoribus conferendis neque ideirco beneficio legis privandis. Praeterea legis Juliae caput erat, ne judicati detraherentur in carcerem (L. 1. C. Qui bon. ced. poss.), exceptio vero admittebatur in improbis scelestisque debitoribus: non igitur probabile est legem Galliae Cisalp., accuratissime singula definientem, exceptionem illam ita proposuisse, ut quo casu locum haberet, non appareret.

Sullam, plebi infestissimum, legem tulisse, qua obaeratis pauperibusque consuleret: non enim inopes ab addictione liberare voluit, sed unice ditiorum caussae prospexit, effecitque ut horum bona, non vero corpus, debitis obnoxia essent. Neque tandem mirum esse potest, Manlianos apud Sallustium de lege Poetelia in desuetudinem redacta unice queri, nullamque Sullanae legis facere mentionem: illos enim, quum nihil iis superesset, unde creditoribus satisfacerent, Sullae lex non tuebatur, quippe quae eos tantum ab addictione liberaret, qui bonam copiam jurarent. Quum igitur hac lege non defenderentur, eandem invocare nihil eorum referebat, sed antiquiorem Poeteliam, quae omnibus obaeratis aeque consuluerat, cogitabant, eamque in desuetudinem abiisse per foeneratorum injustitiam querebantur. Magis vero obstare videtur, quod Varro, *id sublatum ne fieret*, dixerit: sublata enim addictio hac lege dici vix potest, quae inopes, qui satisfacere creditoribus non poterant, iisdem etiamnunc addici jussit. 1) Sed laxius haec interpretanda sunt, uti

1) Opponi hisce possit, Varronem hic non de *addictione* loqui, sed id tantum sublatum fuisse ea lege memorare, quod de *nexis* antea munuerat. Verum, ut supra fusius exposuimus, nexorum ille conditio, de qua egit Varro, addictione unice nitebatur, quum debitores, ut graviores addictionis effectus effugerent, paciscerentur cum creditoribus operasque suas ad debiti solutionem praestarent. Haec igitur ut mitigaretur, ipsa addictio primum vel tolleretur vel saltem minueretur, necesse erat.

proxima verba: *ut omnes, qui bonam copiam jurarunt, ne essent nexi, dissoluti*, ostendunt. Quocumque enim modo locutionem *bonam copiam jurare* explices, addictionem ea lege non totam fuisse sublatam semper patebit, quum ille, qui bonam copiam non juraret, etiamnunc nexus esse posset.

## CAPUT III.

### LEGIS POETELIAE BENEFICIUM RESTITUITUR LEGE JULIA DE BONIS CEDENDIS.

Miserrimam debitorum etiam post legem Sullae fuisse conditionem, ex Manlianorum apud Sallustium verbis intelligitur, violentia atque crudelitate foeneratorum se miseros, egentes, plerosque patria, sed omnes fama atque fortunis expertes esse querentium. 1) Jam pridem enim, crescente in dies foenebri malo, quum usurae modus legibus esset constitutus, fraudibus eas foeneratores eludere studuerant, nomina in socios, qui illis legibus non tenebantur, transscribentes. Quocirca M. Sempronius tribunus plebis, anno 560 a Senatu legem impetravit, qua cautum, ut eum sociis ac nomine Latino pecuniae creditae jus idem, quod cum civibus Romanis, esset. 2) Sed ne haec quidem lex foeneratorum compescuit avaritiam, ita ut anno 685 ferretur lex Gabinia, vetans ne quis legato provinciali Romae sub usuris mutuam daret pecuniam, et si dedisset, ne quis magistratus ex ea syngrapha jus

1) Sallust. *Catil.* c 33.
2) Liv. XXXV. 7.

diceret. 1) Eandem tamen saepius esse neglectam, docet Cicero, qui foeneratores quosdam impetrasse narrat Senatusconsulta, ut ne sibi ea lex fraudi esset. 2)

Haec igitur reputantibus, mirum esse nequit, saepius plebem novas tabulas flagitasse, quas tamen prudenti consilio ei denegavit Julius Caesar. Attamen obaeratorum infortuniis commotus, qui, bellis civilibus destituti bonis, creditoribus satisfacere non amplius poterant, legem tulit de modo credendi possidendique intra Italiam: 3) qua constituit primum, ne quis vel in argento vel in auro possideret plus pecuniae quam LX. H. S., 4) deinde ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante bellum civile comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum perscriptumve esset; qua conditione quartam fere partem crediti deperiisse, testatur Suetonius. 5)

1) Vid. Noodt, *de foen. et usur.* lib. II. c. 4. (Opp. Vol. I. p. 178) atque in primis v. Savigny, *üb. den Zinswucher des M. Brutus* in *Abhandl. der Kön. Akad. der Wiss. in Berl.* anno 1818–1819, p. 183.

2) Cic. *ad Att.* V. 21, VI 1 sqq.

3) Tac. *Ann.* VI. 16.

4) Dio Cass. lib. XLI. c 37, 38. p. 170 E.

5) Sueton. *vit. Caes.* c. 42. Cff. Caesar, *de bello civ.* lib. III. c. 1. Dio Cass. l. l. Tres Caesaris de aere alieno leges distinguit Bachius (*Hist. Jurispr. Rom.* lib. II. c. 2. § 90.) primam, qua cavebatur, ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum. alteram ne quis LX H. S. amplius in auro argentove retineret: tertiam de modo

Veruntamen ne haec quidem lex, quae brevi post neglecta est, quia privato usui bonum publicum postponebatur, 1) inopibus debitoribus magnopere consulebat. Quod enim in antiquo creditorum jure in primis durum erat, ut corpus debitis obnoxium esset, id in usu manebat, eaque potestate creditores, ut ad pessima quaeque obaeratos ducerent, abutebantur. Quocirca bene de civibus suis meruit sive Julius Caesar sive Augustus, ferenda lege Julia de bonis cedendis. 2) Nam etiamsi cessio illa bonorum flebile adjutorium et miserabile auxilium a Justiniano dicatur, 3) revera tamen obaeratis magnum beneficium erat, quum ab addictione eos liberaret. Et hoc quidem nomine rite cum lege Poetelia comparari potest. Ut enim hac lege

---

credendi possidendique intra Italiam. Attamen quum et Suetonius et ipse Caesar unius tantum legis a se latae mentionem faciant, Dio Cassius autem ita Caesaris de aere alieno mutationes referat, ut potius de duobus capitibus unius legis, quam de duabus legibus loquatur, unam tantum legem tulisse videtur Caesar, duabus partibus distinctam. Quae sententia confirmatur auctoritate Taciti, de *lege dictatoris Caesaris* loquentis, *qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur*, quaeque idcirco in duo capita divisa erat.

1) Tac. *Ann.* VI. 16.

2) Lex Julia Caesari an Augusto sit tribuenda, sub judice lis est. Varias virorum doctorum hac de re sententias vide apud Debelow l. l. p. 112 sqq. et Visscher, Diss. l. p. 84 sqq.: quibus addendi sunt Schrader in *Krit. Zeitschr. für Rechtswiss.* I. 2. p. 151 et Rudorff in *Rhein. Mus. für Phil.* II. p. 164.

3) L. 7 et 8 Cod Qui bon. ced. poss

cautum est, ut pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset, ita legis Juliae cum institutum tum effectus erat, ne judicati carcerem paterentur. 1) Attamen, quominus idem plane utramque sanxisse statuas, multa obstant. Quum enim lex Poetelia, excepto eo, qui noxam meruisset, quemcumque civem Romanum a vinculis et carceris custodia liberaret, lex Julia cessionis beneficium iis tantum concessit, qui sine dolo malo creditoribus non amplius satisfacere possent. 2) Praeterea qui bonis cedebant, eorum existimatio nulla infamia vel turpitudine laedebatur, 3) quod secus in proscriptione bonorum fuisse, supra animadvertimus. Sed aliud cessionem inter et proscriptionem bonorum discrimen cernitur, hoc loco minime praetereundum. Qui enim bona sua creditoribus cesserat, propter anteriores contractus, in praesentia quidem non amplius conveniri poterat, exceptione *nisi bonis cesserit* tutus; 4) si vero postea quid acquisiverat, quod idoneum emolumentum haberet, utebatur *beneficio competentiae*, (ut nunc appellatur) quo per exceptionem opposito, non plus condemnari

1) L. 1. Cod. Eod.

2) Arg. L. 51. pr. D. de Re judic. L. 25. fin. D. Quae in fraud. cred. L. 1. Cod. Th. Qui bon. ex l. Julia ced. poss.

3) L. 11. Cod. Ex quibus caus. inf. L. ult. Cod. Qui bon. ced. poss.

4) L. 4. § 1. D. de Cess. bon. L. 3. Cod. de Bon. auct. jud.

poterat, quam facere posset. 1) Itaque liberatus erat, si judicatum fecerat; 2) at cujus bona ex edicto vendebantur, non erat liberatus, posteaque rursus bonorum venditionem pati poterat.

Procedendi formam, quam in bonorum cessione observari voluit jus Romanum, pluribus hic adumbrare non juvat, quum magna ex parte proscriptioni bonorum conveniat, neque explicandae legis Juliae, sed comparandae cum lege Poetelia propositum nobis sit. Illud solum interponamus, non esse, cur legem Juliam tamdiu vim suam et auctoritatem servasse, legem Poeteliam vero brevi in desuetudinem abiisse, mireris. Etenim haec unice debitoribus consulebat, exiguamque creditorum rationem habebat, quo factum, ut hi legi, qua jura sua deminuta viderant, adversarentur, Praetores autem, quum fraudatoribus opem ferre recusarent, eandem negligerent. Lex Julia vero tam debitoribus, quos a vinculis et carcere liberabat, quam creditoribus favens, quibus ob debitorum pravitatem et perfidiam damnum inferri non patiebatur, utriusque jura ex aequo et bono definiebat, ideoque quotidie fere ab utrisque in auxilium vocata, haud facile in desuetudinem abire potuit.

1) L. 4. pr. D. Eod. § ult. Inst. de Actt.
2) L. 1. Cod Qui bon. ced. poss.

# CONCLUSIO.

Ad finem disputationis progressi, paucis comprehendamus, quae ex veterum testimoniis de hoc argumento disseruimus.

Lex Poetelia Papiria, quam Livius anno Urb. 429 latam esse refert, quae tamen post bellum Samniticum lata videtur, et fortasse in annum 440 incidit, severum addicendi jus, quod leges XII tabularum creditoribus largitae erant, abrogavit.

Sublata addictione, in eius locum successit qualiscunque distractio bonorum, cuius quidem modum et rationem ignoramus, cui tamen nova forma successit, ex praetorio edicto, a Praetore Publio Rutilio fundata, qui bonorum venditionem introduxit.

Temporis decursu lex Poetelia praepotentium foeneratorum auctoritate in desuetudinem abiit, iterumque debitoris corpus creditori addicebatur.

Postea Sulla dictator legem Poeteliam ex parte renovavit, constituens, ut ii tantum, qui solenni jure-

jurando se adhuc creditoribus satisfacere posse affirmarent, ab addictione liberi forent, eorumque bona debitis obnoxia essent.

Denique lex Julia beneficium legis Poeteliae totum restituit, introducenda cessione bonorum, quae omnes obaeratos a carceris custodia et addictione liberabat, exceptis iis, qui dolo malo, ut ne creditoribus solvere possent, fecerant. Quae lex, quum debitoribus et creditoribus aeque consuleret, ad postrema usque tempora perpetuata est.

Z. 31.12

5852158